



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliarvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia**

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

Concilium Lvgdvnense I. Generale Ab Innocentio IV. Celebratum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**



ANNO  
CHRISTI  
1143.

# CONCILIUM LUGDVNENSE I. GENERALE AB INNOCENTIO IV. CELEBRATVM.

## HISTORIA CONCILII.



**Q**VONIAM singularis Friderici II. Romanorum imperatoris insolentia Innocentium quartum pontificem maximum precipue ad conuocandum Lugdunense Concilium incitauit, res ipsa postulat, ut similitates, quas ipse Fridericus cum hoc pontifice & cum aliis gessit, & belli acerbissimi quod eisdem intulit initia & causas

breuiter explicemus. Hic igitur Fridericus, Henrici quinti filius, & Friderici I. nepos, maximis est a sede apostolica beneficiis affectus. Puer enim parentibus orbatu in tutela fuerat Innocentii tertii: eiusdemque pontificis opera ad eius dignitatis gradum ascenderat, pulsoque Ottone quarto imperator fuerat designatus. Cui non modo parem gratiam non retulit, sed etiam ecclesiam Romanam multos annos diuexauit; & arma, quæ voto obstrictus pro salute communi contra Saracenos capere debuit, magno Christianorum omnium detrimento ingrato animo atque impio contra ipsos pontifices cepit. Et quamquam principio tamdiu Innocentio tertio & reliquis pontificibus obsecutus est, quamdiu id suis rationibus conducere putauit; tamen ubi mortuo Innocentio insignia imperatoris ab Honorio tertio adeptus est, statim cum illo graues inimicitias suscepit, cum enim & ecclesiarum iurisdictiones, & bona usurparet, & a clericis & ecclesiis tributa exigeret, ac sæpe

Ioānes Vil-  
lanus lib. 5.  
hist. cap. 18.  
Idem libro  
5. cap. 36.

Vincentius  
Beluacensis  
lib. 30. c.

F ff iij



119. & Ioa-  
nes Villa-  
nus lib. 6. c.  
15. & sequen-  
tibus.

Vincencius  
lib. 30. cap.  
138.  
Matthaus  
Paris hist.  
in Henrico  
III. & Ioa-  
nes Villa-  
nus loco ci-  
tato.

ab Honorio pontifice, ut ab incepto desisteret, admonitus respicere nollet, ab eodem Honorio fidelium communione priuatus est: quam sententiam Gregorius quoque nonus, qui in Honorii locum successerat, confirmavit. Et licet aliquando in gratiam cum Gregorio IX. pontifice maximo imperator rediisset, & ab eo monitus fuisset ut votum quo tenebatur persolueret, regnumque Hierosolymitanum, quod in summo discrimine, expugnata iam a Saracenis Hierosolyma, eo tempore versabatur, in pristinum statum restitueret, ipse ad eo ab hac expeditione refugit, ut eam ob causam in omnium fere Christianorum, praesertim vero Gregorii pontificis offensionem incurreret. Attulit praeterea maximam molestiam eidem pontifici Fridericus. Cum enim ipsius regnum quibusdam pontificis urbibus & opidis finitimum esset, multa quae ad sedem apostolicam pertinebant ausus est occupare, & militum praesidio munire: qua iniuria commotus pontifex vim vi repellere coactus est, & ecclesiae patrimonium, ne in potestatem Friderici veniret, armis tueri. Et quamuis longo tandem interuallo conscripto exercitu imperator in Syriam sit profectus, tamen, cum nullo commisso praelio statim cum Aegypti rege, qui Syriam oppressam tenebat, pacem fecisset, & verbo tantum ex pacto Hierosolymam recepisset, non solum pontificis animum non placavit, verum etiam exulceravit vehementer. Itaque Fridericus apertas inimicitias cum Gregorio gessit, bellumque illi tam acerbum intulit, ut magnam Piceni & Latii partem in suam redegerit potestatem: Romaque obsessa, si quos interdum ciues in obsidione caperet, crudeliter trucidaret. Cum autem Guelforum & Gibellinorum factiones eodem tempore ad Italiae perniciem erupissent; omnesque fere ciuitates in contrarias partes distraherentur, ciuesque ipsi, quasi furiis quibusdam agitati, alii alios in exilium pellerent, fortunisque spoliarent; Fridericus, cuius erat flammam nascentem opprimere, illam potius auxit, sibi que Gibellinis adiunctis, Guelfos, qui pontificis defensionem susceperant, bello statim aggressus est. His igitur malis ut mederetur Gregorius, hominisque superbi furore atque amentia caci, qui neque cum Saracenis unquam bellum gerere, neque cum Christianis pacem firmam habere voluisset, aut omnino, aut aliqua certe ex parte nefarios conatus reprimeret, Concilium generale conuocauit, Romamque tum episcopos, tum alios patres venire iussit. At cum multi ex Gallia & Hispania dicto audientes Romam nauigarent, Genuensiumque triremibus ueherentur, in Friderici classem inciderunt, victisque Genuensibus capti sunt episcopi & cardinales,



Ad ipsum imperatorem perducti. Grauem hunc episcoporum casum ita ægre tulit vir optimus Gregorius, ut præ animi dolore e vita paucis diebus excefferit, cum quatuordecim annos, menses quinque, summa æquitate & prudentia ecclesiam administrasset, maximosque labores eius causa pertulisset. Successit Gregorio Cælestinus quartus, qui cum statim de vita migrasset, cardinales vix post viginti menses Innocentium quartum, virum doctrina & virtute præstantem pontificem maximum delegerunt. Hic pontifex statim cum Friderico de pace egit; hominesque grauissimos ad illum misit, qui æquissimas ei pacis condiciones proponerent & postularent, ut patres, qui in pugna nauali capti fuerant, ut sæpe promiserat, liberos dimitteret. His pontificis cohortationibus cum Fridericus obtemperare nollet, nullaque amplius conciliandæ pacis reliqua spes esset, Innocentius ut hominis temeritatem reprimeret, atque aliis ecclesiæ commodis consuleret, Gregorii consilium secutus Synodum statim coegit. Veruntamen quia difficile erat patres Romam venire propter bella & seditiones quæ longe lateque diffusæ totam iam Italiam occuparant, se ipse pontifex in Galliam contulit: Lugdunumque urbem clarissimam habendo Concilio delegit. Fridericus igitur ad dicendam causam euocatus non venit: misit tamen legatos, in primisque Thadæum quemdam eloquentem virum & eruditum, qui aduocati officio fungeretur, dilueretque crimina, de quibus ipse postulabatur. Hic Thadæus ita obiit munus suum, ut & imperatorem acerrime defenderet, & accusatoribus multa obiiceret, illorumque rationes & argumenta refutaret. Sed tandem in vltima actione, causa cognita, diligenterque perspecta, Innocentius de sententia Synodi imperatorem damnauit, eumque e piorum communione eiectum imperii dignitate & Sicilia regno priuauit.

Vincentius lib. 30. c. vlr. & lib. 31. c. 1. Villanus li. 6. cap. 24. & sequētibz, & alii.

Quæ sequitur ex actis Cœcilii excerpta sunt.

Præter hanc imperatoris causam fuerunt item ab Innocentio alia negotia maximi momenti ad Synodum relata. Cum enim omnes pontifices de Christianis qui Syriam incolebant essent eo tempore solliciti, in illisque tuendis & confirmandis, repellendisque Saracenis, assiduam curam & diligentiam adhiberent, cumque tunc magnus esset necessario mittendus exercitus, ne regio illa in potestatem Saracenorum iterum perueniret, Innocentius, ne officio suo deesset, omnes ad hanc expeditionem cohortatus est.

Præterea eodem tempore ardebat bello Græcia. Balduinum, qui primus ex Latinis Constantinopolitanus imperator fuit, quidam Græci principes iniquo animo in Græcia dominari patiebantur.



tur, qui non solum ab imperatore defecerant, verum etiam & ipsi Balduino, & aliis, qui postea rerum potiti sunt, bellum acerrimum ac diuturnum intulerant, & modo aperto Marte, modo insidiis & dolo, ita eos vexabant, ut tandem imperator, qui eo tempore Constantinopoli regnabat, de suo statu amplissimo fere deiectus vix nomen imperatoris & maiestatem obtineret. Hoc igitur negotium ad ecclesiam magnopere pertinere Innocentius existimabat. Cernebat enim animo, si Græci Latinos expellerent, periculum esse, ne tota statim Græcia ad pristinam consuetudinem moremque relaberetur, & a Romana ecclesia dissideret.

Paris in  
Henrico  
III.

Vincencius  
lib. 31. c. 2.  
& sequenti-  
bus.

Egressi item fuerant paulo ante Tartari, qui olim Scythæ Asiatici nominabantur, extra regiones quas incolebant, & multas Asiæ provincias depopulati, tandem Europæ bellum intulerant: magnæque illius parti incredibiles calamitates importarant: & in primis Pannoniæ inferiori, quæ nunc Hungaria dicitur, quam cæde & incendiis vastatam in suam redegerant potestatem. Occurrebant itaque uno eodemque tempore res magnæ & vehementer arduæ, quæ sine generali Concilio vix pro dignitate poterant explicari. Illud etiam accedebat, quod superiores pontifices ad conuocanda Concilia commouit: mores enim hominum longe a maiorum disciplina deslexerant, quotidieque in vitia grauiora dilabebantur. Quare optabat pontifex ut ecclesia pristinum illum, qui hisce moribus obsoleuerat, dignitatis splendorem recuperaret. Hæc autem cura tantopere illum sollicitabat, ut cum reliquæ causæ essent grauissimæ, de hac tamen primo loco in Concilio verba fecerit: & quamquam hæc omnia sunt ad Synodum delata; tamen præcipue in omnibus actionibus actum est de causa Friderici imperatoris, & ad exitum perducta.

Paris vbi  
supra.

Fuit autem habitum hoc Concilium in templo maximo Lugduni, anno a Christo nato millesimo ducentesimo quadragesimo quinto, pontificatus Innocentii quarti anno secundo. Conuenerunt multi cardinales, episcopi centum quadraginta, abbatesque complures. Accesserunt multi viri clarissimi, & præter ceteros Constantinopolitanus imperator: qui prope pontificem consedit. Intersuit patriarcha Constantinopolitanus, & Antiochenus.

Absolutum fuit hoc Concilium breui temporis spatio. Prima enim actio habita est quarto Kalendas Iulii, secunda octo post diebus, & paulo post tertia eademque postrema. In his actionibus præter negotium Friderici, in tertia actione de tuendo regno Hierosolymitano eadem innouata sunt quæ ab Innocentio tertio in generali



ANNO CHRISTI 1245.  
*nerali Concilio statuta fuerant. Demum de mittendo imperatori Constantinopolitano subsidio, & de Tartarorum impetu, ferociaque comprimenda nonnulla constituta. Illud præterea sancitum fuit, vt dies natalis beatæ Mariæ virginis, Dei que matris, octo dierum spatio celebraretur. Alia item decreta edita sunt, quæ maiori ex parte in manuscripto Innocentii regeſto continentur, & in hanc generalium Conciliorum editionem coniiciuntur.*

EPISTOLÆ

INNOCENTII PAPÆ IV.

ARCHIEPISCOPO SENONENSI.

**D**EI virtus & Dei sapientia Dominus Iesus Christus, cuius ineffabili subiecta sunt omnia maiestati, a foundationis initio splendore virtutum suam illustravit ecclesiam, & sic insignem reddidit singularis priuilegio potestatis, vt per eius ministerium suum iusticia consequatur effectum, & sedato guerrarum turbine mundo possit tranquillitas prouenire. Huius enim præminentiam dignitatis dum nos reuerenter attendimus, qui regimini generalis ecclesiæ licet immeriti diuina prouidentia præsidemus, reddimur corde solliciti, quod tempestatis horror, qua ipsa turbatur ecclesia, & religio Christiana concutitur, per nostræ prouisionis auxilium cælesti pietate propitia propulsetur. Hinc est quod nos, vt ipsa ecclesia per fidelium salubre consilium & auxilium fructuosum status debiti possit habere decorem, & deplorando terræ sanctæ discrimini, & afflicto Romano imperio, propere valeat subueniri, ac inueniri remedium contra Tartaros, & alios contemptores fidei, ac persecutores populi Christiani, nec non pro negotio, quod inter ecclesiam & principem vertitur, reges terræ, prælatos ecclesiarum, ac alios mundi principes duximus aduocandos. Rogamus itaque fraternitatem tuam, & hortamur attente, præcipiendo mandantes, quatenus ad præsentiam nostram, omni prorsus \* occasione postposita, vsque ad proximum festum sancti Ioannis Baptistæ personaliter venire procures; vt ipsa ecclesia ex tuæ visitationis honore spirituale gaudium, & ex tua industria consilium

*Concil. Tom. 28.*

Ggg

\* excusatione



percipiat profuturum; sciturus quod nos dictum principem in prædicatione nostra citauimus, vt per se vel suos nuntios in Concilio celebrando compareat responsurus, nobis & aliis qui aliquid contra ipsum proponendum duxerint satisfactionem idoneam præstiturus. De personarum autem & euectionum moderato numero illam, cum veneris, prouidentiam habeas, quod tuæ nimis onerosus ecclesiæ non existas. Ceterum volumus & mandamus, vt suffraganeis tuis, quod eodem termino pro his ad præsentiam nostram accedant, eorum vero capitulis, quod mittant prouidos nuntios & fideles, qui vice ipsorum vtile nobis consilium largiantur, auctoritate nostra præcipere non postponas.

Datum Lugduni tertio Nonas Ianuarii, anno secundo.

CAPITVLO SENONENSI.

**D**EI virtus, & cetera vsque Festum sancti Ioannis Baptistæ prouidos & fideles nuntios destinetis; vt ipsa ecclesia ex huiusmodi visitationis honore spirituale gaudium, ac ex illorum industria, & cetera, vt in alia vsque ad Præstiturus. Datum, &c. vt in proxima.

ILLVSTRI REGI FRANCIAE.

**D**EI virtus, & cetera vsque ad Aduocandos. Rogamus itaque serenitatem tuam, & hortamur attente, quatenus ad præsentiam nostram, & cetera vsque ad Proximum festum sancti Ioannis Baptistæ mittas prouidos nuntios & fideles, & cetera vsque ad Præstiturus. Huiusmodi autem nostrum desiderium sic, fili benedictionis, adimpleas, vt nos in te gaudentes zelatorem honoris ecclesiæ reperisse, quæ secundum Deum in futurum tibi grata senserimus paternis affectibus prosequamur.

Datum, vt supra in proxima.

EPISCOPO OSTIENSI.

**P**RO magnis & arduis negotiis, quæ incumbunt ecclesiæ, tuam & aliorum fratrum nostrorum absentium habere præsentiam nos & fratres nostri iugiter affectamus: maxime cum multum honoris & commodi possit eidem ecclesiæ per industriæ vestræ consilium prouenire. Cum itaque nos de ipsorum fratrum consilio Con-



ANNO CHRISTI 1245  
cilium duxerimus aduocandum, proximo festo beati Ioannis Baptistæ super hoc termino assignato, fraternitati tuæ præsentium auctoritate mandamus, quatenus te ad iter nostram adeundi præsentiam præparare studeas, vt si forte ita cito, sicut in desiderio nostro vertitur, venire nõ possis, saltem ad nos, Deo duce, in termino peruenias memorato.

Datum Lugduni secundo Kalendas Februarii anno secundo.

In eodem modo S. tituli sanctæ Mariæ trans Tiberim presbytero cardinali.

In eodem modo R. sanctæ Mariæ in Cosmedin diacono cardinali.

In eodem modo R. sancti Angeli diacono cardinali.

BREVIS NOTA EORVM  
QVÆ IN PRIMO CONCILIO LVGDVNENSI  
generali gesta sunt.

IN NOMINE DOMINI, AMEN.

Anno eiusdem millesimo ducentesimo quadragesimo quinto.

**C**VM dominus Innocentius papa quartus ad partes Galliarum propter multa pericula quæ imminabant generali ecclesiæ se transfulisset, Concilium aduocauit apud Lugdunum: & in vigilia beati Petri apostoli Concilio conuocato in maiori ecclesia, dominus papa, Missa celebrata, locum eminentiorem ascendit: imperator vero Constantinopolitanus sedit ad dexteram, & quidam alii principes laici federunt ad sinistram, & diaconus cardinalis vicecancellarius magister Martinus Neapolitanus cum notariis auditore & correctore, capellanis, subdiaconis, & quibusdam aliis: inferius vero sic prælati sederunt. Ex opposito tres patriarchæ ordinati fuerunt, videlicet Constantinopolitanus ad dexteram, Antiochenus Aquileiensis tertio; de quo scandalum est exortum, ex eo quod, vt alii patriarchæ dicebant, sedere non debebat iuxta eos, cum non esset de quatuor patriarchis, & destructa est sedes eius. Et tandem, vt vitaretur scandalum, de voluntate domini papæ, vt creditur, est restructa. In na-

*Concil. Tom. 28.*

Ggg ij



ui vero ecclesie ad dexteram, & in eminentioribus locis federunt episcopi cardinales, ex altera vero presbyteri cardinales, archiepiscopi, & episcopi post eos: in sedibus autem constitutis in naui ecclesie federunt aliqui de episcopis, abbates, procuratores capitulorum, nuntii regum, & imperatoris Friderici, & multi alii erant ibi. Tunc dominus papa incepit, Veni Creator Spiritus: & illo hymno communiter ab omnibus decantato, dixit: Dominus vobiscum: & responderunt omnes: Et cum Spiritu tuo. Oremus. *Ægidius* cardinalis dixit: Flectamus genua. *O. Clavianus* respondit: Leuate: & sic dixit dominus papa propriam orationem: qua dicta, *Galeatius capellanus* incepit litanias. Quibus expletis dominus papa dixit: Oremus, cum oratione de Spiritu sancto, Deus qui corda fidelium: nec dixit Dominus vobiscum. Quibus peractis incepit prædicare de auctoritate prophetie: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes, &c.* incipiens, quod multiplex erat dolor suus, quia quinque dolores circumdederant eum. Primus erat de difformitate prælatorum & subditorum. Secundus erat de insolentia Saracenorum. Tertius de schismate Græcorum. Quartus de sauitia Tartarorum. Quintus de persecutione Friderici imperatoris.

Rediens ad primum articulum de difformitate prælatorum & subditorum, quia non erant tales quales consueverant, & debebant esse, & de eorum excessibus multa dixit. Postea de insolentia Saracenorum, referens rumores de iis quæ tunc acciderant vltra mare, quando Ierusalem occupauerant, & euerterant sepulcrum Domini, & cetera sacra loca de partibus illis, & Christianos interfecerant infinitos, & quæcumque ibi per eos fuerant perpetrata. Tertio de schismate Græcorum, quomodo *Vacarius* imperator Græcorum cum Græcis schismaticis occupauerant & destruxerant fere vsque ad Constantinopolim, & de ciuitate timeri poterat, nisi a Christianis velocem succursum haberent. Quarto de sauitia Tartarorum, quomodo terram Christianorum intrauerant, & Hungariam occupauerant, non parcentes, quin omnes interficerent, sexui vel atati. Quinto de persecutione dicti imperatoris, quomodo persequebatur ecclesiam, & suum prædecessorem



Gregorium fuerat persecutus: & in literis, quas dictus imperator per mundum mittebat, referebat publice quod non persequebatur ecclesiam, sed personam: quod verum non fuerat, prout manifestissime apparebat, quia in vacatione ecclesie eam persequi non cessauit. Imo tunc clericum & ecclesiam magis affixit. Et postquam de afflictione plurima dixit, fecit legi quoddam priuilegium aurea bulla munitum ab eodem imperatore, cum esset rex, Honorio predecessori suo concessum: in quo inter alia potissimum habebatur, quomodo eidem iuramentum fidelitatis presterat, tamquam vassallus suo domino, & quoddam aliud priuilegium, in quo ipse fatebatur quod regnum Siciliae & Apuliae erat speciale patrimonium beati Petri, & illud ab ecclesia tenebat in feudum, & concedebat ac quitabat si aliquod ius habuisset in electionibus ecclesiarum regni predicti, & faciebat easdem ecclesias liberas, francas, & immunes ab omni preestatione. Item fecit legi plura alia priuilegia aurea bulla munita, ecclesie, dum esset rex, & postea imperator, concessa, in quibus habebatur, quod ipse quitabat, donabat, & concedebat, & confirmabat totam terram a castro Radicofani, vsque ad castrum Ceprani, marchiam Anconitanam, ducatum Spoleti, exarchatum Rauennae, Pentapolim, comitatum Romandiola, & terram comitissae Mathildis: & multa alia erant ibi. Quibus dictis iudex Thadaeus, vnus de nuntiis imperatoris, surrexit, & fere respondit ad singula quae dixerat dominus papa, & mirabiliter videbatur imperatorem excusare: & asseruit multa mala quae fecisse & procurasse dicebat ecclesiam contra eum, & ostendit ibi plurima ex contentis literarum, & multis responsio eius fuit grata. Sed dominus papa respondit ad singula bene, ac si praeuidisset, se & ecclesiam excusando. Et sic illius diei sessio fuit terminata.

Secunda sessio fuit ad octo dies postea. & quoad sessionem & officia idem factum fuit quod & in prima. Quibus peractis, surrexit episcopus Calmensis, Cisterciensis ordinis de Apulia, qui exul erat, & mirabiliter descripsit vitam malam, & ignominiosam, & progressum dicti imperatoris a pueritia sua, & quae erat sua intentio, quia ad hoc intendebat praecipue, vt praelati & clerus ad illam re-



uerterentur paupertatem, in qua fuerant tempore ecclesie primitiua: quod maxime patebat per literas quas per mundum contra ecclesiam & clerum trans mittebat. Postmodum surrexit archiepiscopus de Hispania, qui multum dominum papam animauit ad procedendum contra imperatorem, referendo plurima quae contra ecclesiam fecerat, & quomodo tota sua fuit intentio ut deprimeret ecclesiam iuxta posse, promittens quod ipse & alii praelati Hispaniae, qui multum magnifice & generaliter plusquam aliqua alia natio ad Concilium venerant, domino papae assisterent in personis & in rebus, iuxta suae voluntatis beneplacitum. Haec eadem promiserunt plures alii in Synodo praelatorum. Tunc surrexit praedictus iudex Thadaeus, & multa grauia proposuit contra dictum episcopum Calmensem, quod non zelo iustitiae, sed ex maleuolentia, ex eo quod ipsum & suos pro manifestis excessibus punierat, talia contra imperatorem proponere curauit, & sic in praedicta sessione nihil aliud factum fuit. Verumtamen dictus iudex Thadaeus supplicabat instanter ut prorogaretur tertia sessio, pro eo quod imperatorem expectabat, prout ipse per certos habebat nuntios, ac ipse ad eum plures alios, qui in ciuitate Taurinensi fuerant, miserat, quod iter arripuerat ad Concilium veniendi. Et quia dictus papa haec quamplurimum affectabat, ut posset inter eos pacis foedera reformare, usque ad diem Lunae, post octauam sessionis secundae, quae fuerat in die Mercurii, contra multorum praelatorum voluntatem prorogauit tertiam sessionem; quod non fuit sine radio multorum praelatorum, & aliorum Templariorum, & Hospitalariorum, qui multos armatos ad custodiam domini papae & Concilii studuerant destinare, & propter pressuram hominum, & dubitationem quae in ipsa ciuitate, quae custodiebatur per armatos plurimos die ac nocte, fortiter assistebat. Et quia pro certo domino papae constitit quod ipse non veniebat, nec cum mandato solenniter facto aliquos principes destinabat, dicta die Lunae constituit tertiam sessionem, & peractis officiis, ut in prima, post multa dicta hincinde & audita, antequam ad festum accederetur natiuitatis beatae Mariae virginis gloriosae, ordinauit octauam, sacro Concilio approbante.



ANNO CHRISTI 1241.  
Deinde dominus papa quasdam constitutiones, quæ pro recuperatione terræ sanctæ, ac aliis, quæ pro subsidiis Romani imperii, & etiam alias quæ contra Tartaros factæ fuerant, fecit legi.

Item postmodum dominus papa dixit, quod omnia priuilegia, quæ Romanæ ecclesiæ a principibus mundi tam ab imperatoribus quam a regibus concessa fuerant, eidem exemplari fecerit, & in eis apponi fecit omnium qui aderant prælatorum sigilla, & volebat quod vigorem haberent, sicut ipsa originalia quæ ibi lecta erant. Tunc surrexerunt nuntii regis Angliæ pro authenticatione quorundam priuilegiorum concessorum a rege Angliæ ipsi ecclesiæ, quæ asseriebant facta præter consilium principum terræ, licet priuilegiis illis contrarium diceretur ad futurum pontificem, & quibusdam constitutionibus quæ pro subsidio fiendo ecclesiæ factæ fuerunt. Tunc surrexit iudex Thadæus, percipiens quod iam securis erat posita ad radicem pro multorum priuilegiorum authenticatione: & si contra dictum imperatorem vellet procedere, appellaret ad futurum summum pontificem, & Concilium generale. Ad quæ dominus papa respondit humiliter & benigne, quod illud erat Concilium generale, quia tam principes sæculares quam clerici ad illud fuerant inuitati, sed omnes qui in iurisdictione imperatoris fuerant ad illud eos accedere non permisit, propter quod appellationem non admittebat eandem. Et statim incepit recitare quantum eum dilexerat antequam esset in papam assumptus, & quantum sibi dimiserat postmodum, & etiam postquam fuerat Concilium ordinatum, eum semper verbis mirabiliter honorando, ita quod vix credebatur ab aliquibus quod aliquam deberet ferri facere sententiam contra eum. & statim incepit omnia promere ore tenus, & ferre sententiam contra eum, priuans ipsum omni honore & imperio, & aliis regnis suis: & postmodum sententia in scriptis in ipsa Synodo lecta fuit. Qua lecta dominus papa surrexit, & incepit, Te Deum laudamus: quo hymno decantato, per omnes fuit Concilium dissolutum.



SENTENTIA  
CONTRA FRIDERICVM IMPERATOREM  
AB INNOCENTIO PAPA IV.  
IN CONCILIO LATA.*Sacro præfente Concilio, ad rei memoriam sempiternam.*

**A**D apostolicæ dignitatis apicem licet indigni dignatione diuinæ maiestatis assumpti, omnium Christianorum curam vigili sedulaque solertia gerere, ac intimæ considerationis oculo singulorum discernere merita, & prouidæ deliberationis statera librare debemus; vt quos iusti vigor examinis dignos ostenderit, congruis attollamus fauoribus, quos autem reos, pœnis debitis deprimamus; appendentes semper meritum & præmium æqualance, retribuendo cuique, iuxta qualitatem operis, pœnæ vel gratiæ quantitatem. Sane cum dira guerrarum commotio nonnullas professionis Christianæ prouincias diutius affixisset, nos toto cupientes affectu mentis tranquillitatem & pacem ecclesiæ sanctæ Dei ac generaliter cuncto populo Christiano restituere ac reducere, ad præcipuum principem sæcularem, huius dissensionis & tribulationis auctorem, a felicitis recordationis Gregorio papa prædecessore nostro pro suis excessibus anathematis vinculo innodatum, speciales nuntios magnæ auctoritatis viros, videlicet venerabilem fratrem nostrum P. Albanensem, tunc Rothomagensem archiepiscopum, & C. Sabinensem tunc, quondam Mutinensem, episcopos, ac dilectum filium nostrum Guillelmum basilicæ duodecim apostolorum presbyterum cardinalem, tunc abbatem sancti Facundi, qui salutem zelabantur ipsius, duximus destinandos; facientes sibi proponi per ipsos, quod nos & fratres nostri, quantum in nobis erat, pacem per omnia sæcum habere, nec non cum omnibus hominibus optabamus, parati sibi pacem & tranquillitatem dare, ac mundo etiam vniuerso. Et quia prælatorum, clericorum, omniumque aliorum, quos detinebat captiuos, & omnium tam clericorum quam laicorum quos ceperat in galeis restitutio poterat esse pacis plurimum inductiua, cum, vt illos restitueret, cum hoc idem tam ipse quam



ANNO CHRISTI 1145.  
quam sui nuntii, antequam ad apostolatus vocati esse-  
mus officium, promississent, rogari & peti ab ipso feci-  
mus per eosdem, ac proponi insuper, quod iidem parati  
erant pro nobis audire, & tractare pacem, ac etiam au-  
dire satisfactionem quam facere vellet princeps de om-  
nibus, pro quibus vinculo erat excommunicationis astri-  
ctus; & offerri præterea, quod si ecclesia eum in aliquo  
contra debitum læserat, (quod non credebat) parata erat  
corrigerere, ac in statum debitum reformare: & si diceret  
ipse quod in nullo contra iustitiam læserat ecclesiam,  
vel quod nos eum contra iustitiam læsissimus, parati era-  
mus vocare reges, prælatos, & principes tam ecclesia-  
sticos quam sæculares, ad aliquem tutum locum; vbi  
per se vel solennes nuntios conuenirent, eratque parata  
ecclesia de consilio Concilii sibi satisfacere, si eum læsis-  
set in aliquo, ac reuocare sententiam, si quam contra  
ipsum iniuste tulisset, & cum omni mansuetudine ac mi-  
sericordia, quantum cum Deo & honore suo fieri pote-  
rat, recipere de iniuriis & offensis ipsi ecclesiæ suisque  
per eum irrogatis satisfactionem ab ipso. Volebat etiam  
ecclesia omnes amicos suos sibi que adhaerentes in pace  
ponere, plenaque securitate gaudere; vt nunquam hac  
occasione posset aliquod subire discrimen. Sed licet sic  
apud eum pro pace paternis monitis & precum infi-  
stere curauerimus lenitate, idem tamen Pharaonis imi-  
tatus duritiam, & obturans more aspidis aures suas, hu-  
iusmodi preces & monita elata obstinatione ac obsti-  
nata elatione despexit. Et licet processu temporis in die  
cœnæ Domini proxima nuper præterita præcedente co-  
ram nobis & fratribus nostris cardinalibus præsentibus  
carissimo in Christo filio nostro Constantinopolitano  
imperatore illustri, cœtu quoque non modico prælato-  
rum, senatoribus populi Romani, & maxima multitudine  
aliorum qui eodem die propter solennitatem ipsius  
de diuersis mundi partibus ad apostolicam sedem con-  
uenerant, quod staret nostris & ecclesiæ mandatis per  
nobilem virum comitem Tolosanum, ac magistros P. de  
Vinea, & T. de Sueffa curiæ suæ iudices, & nuntios, &  
procuratores suos, speciale super hoc ab ipso mandatum  
habentes, præstiterit iuramentum, postmodum tamen

Concil. Tom. 28.

H h h



quod iurauerat non impleuit; quinimo ea intentione ipsum præstitisse iuramentum probabiliter creditur, sicut ex factis sequentibus colligitur euidenter, ut eidem ecclesiæ ac nobis illuderet potius quam pareret, cum anno & amplius iam elapso, nec ad ipsius ecclesiæ gremium reuocari potuerit, nec sibi de illatis ei damnis & iniuriis curauerit satisfacere, licet super hoc extiterit requisitus. Propter quod non valentes absque graui Christi offensa eius iniquitates amplius tolerare, cogimur urgente nos conscientia iuste animaduertere in eundem. Et ut ad præsens de ceteris eius sceleribus taceamus, quatuor grauissima, quæ nulla possunt celari tergiuersatione, commisit: deierauit enim multoties, pacem quondam inter ecclesiam & imperium reformatam temere violando. Perpetrauit etiam sacrilegium, capi faciens cardinales sanctæ Romanæ ecclesiæ, ac aliarum ecclesiarum prælatos & clericos religiosos & sæculares venientes ad Concilium, quod idem prædecessor noster duxerat conuocandum. De hæresi quoque non dubiis & leuibus, sed euidentibus argumentis suspectus habetur, plura siquidem eum commisisse periuria satis patet. Nam olim cum in Sicilia partibus morabatur, priusquam esset ad imperii dignitatem electus, coram bonæ memoriæ \* C. sancti Theodori diacono cardinali, apostolicæ sedis legato, felicis recordationis Innocentio papæ prædecessori nostro, & successoribus eius, ecclesiæque Romanæ, pro concessione regni Siciliae ab eadem ecclesia sibi facta fidelitatis præstitit iuramentum, & sicut dicitur, illud idem, postquam ad eandem dignitatem electus extitit, & venit ad Urbem, coram eodem Innocentio, suisque fratribus cardinalibus, & aliis multis præsentibus, ligium \* hominum in eius faciens manibus innouauit. Deinde cum in Alemannia esset eidem I. & ipso defuncto bonæ memoriæ Honorio papæ prædecessori nostro, & eius successoribus, ac ipsi ecclesiæ Romanæ, præsentibus imperii principibus atque nobiles, iurauit honores, iura, & possessiones Romanæ ecclesiæ pro posse suo seruare, ac protegere bona fide, & quod quæcumque ad manus suas deuenirent, sine difficultate restituere procuraret, nominatis & expresse dictis possessionibus in huiusmodi iuramento:



ANNO  
 CHRISTI  
 1245.

quod postmodum confirmavit, coronam imperii iam adeptus: sed horum trium iuramentorum temerarius exitit violator, non sine prodicionis nota, & læsæ crimine maiestatis. Nam contra præfatum prædecessorem G. & fratres suos comminatorias literas eisdem fratribus destinare, ac dictum G. apud fratres ipsos, sicut apparet per literas ab eo tunc directas eisdem, & etiam, prout fertur, per vniuersum fere orbem terrarum multipliciter diffamare præsumpsit, ac venerabilem fratrem nostrum O. Portuensem, tunc sancti Nicolai in carcere Tulliano diaconum cardinalem, & bonæ memoriæ I. Prænestinum, episcopos, apostolicæ sedis legatos, nobilia & magna Romanæ ecclesiæ membra, personaliter capi fecit, & bonis omnibus spoliatos, ac per diuersa loca non semel ignominiose deductos, carceribus mancipari. Priuilegium insuper, quod beato Petro & successoribus eius in ipso tradidit Dominus Iesus Christus, videlicet, *Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis*, in quo utique auctoritas & potestas ecclesiæ Romanæ consistit, pro viribus diminuere, vel ipsi ecclesiæ auferre sat egit; scribens se præfati G. sententias non vereri, latam ab eo excommunicationem in ipsum, non solum, contemptis ecclesiæ clauibus, non seruando, verum etiam per se ac officiales suos & illam & alias excommunicationis vel interdicti sententias, quas idem omnino contempnit, cogendo alios non seruare. Possessiones quoque præfate Romanæ ecclesiæ, videlicet Marchiam, Ducatum, Beneuentum, cuius muros & turres dirui fecit, ac alias, quas in Tusciæ & Lombardiæ partibus, & quibusdam aliis obtinebat locis, paucis exceptis, occupare non metuens, eas adhuc detinet occupatas; & tamquam ei non sufficeret, quod manifeste contra iuramenta præmissa præsumendo talia veniebat per se vel suos officiales earumdem possessionum homines deierare compulit, ipsos a iuramentis fidelitatis, quibus Romanæ tenebantur ecclesiæ, de facto, cum de iure non posset, absoluens, & faciens eosdem fidelitatem nihilo minus abiurare prædictam, sibi que fidelitatis huiusmodi iuramenta præstare. Pacis vero ipsum violatorem existere plane constat, quia cum

Matth. 16.

Concil. Tom. 28.

Hhh ij



olim tempore pacis inter ipsum & ecclesiam reformatam iurasset coram bonæ memoriæ I. de Abbatisuilla episcopo Sabinensi, & magistro Th. tituli sanctæ Sabinae presbytero cardinali, præsentibus multis prælatis, principibus, & baronibus, quod stare & pareret præcisè absque vlla contradictione omnibus mandatis ecclesiæ super iis pro quibus erat vinculo excommunicationis adstrictus, causis excommunicationis eiusdem expressis, per ordinem coram eo, tunc omnibus Teutonicis hominibus regni Sicilia, ac quibuslibet aliis, qui ecclesiæ contra ipsum adherant omnem remittens offensam, & pœnam: & quod nullo tempore offenderet, vel offendi faceret, ipsos pro eo quod ecclesiæ astiterant præstari in anima sua per comitem Acerrarum faciens iuramentum, postmodum pacem & iuramentum huiusmodi nequaquam erubescens \*irretiri periuriis non seruauit. Nonnullos enim ex ipsis hominibus, tam nobiles, quam alios, postea capi & incarcerari fecit, & eis bonis suis omnibus spoliatis, vxores eorum & filios captiuari, ac insuper terras ecclesiæ contra promissionem, quam eidem T. Sabinensi episcopo & Thomafo cardinali fecerat, irreuerenter inuasit, licet ipsi extunc in eum præsentem, si vlllo modo prædictis articulis aut conditionibus contraueniret, excommunicationis sententiam promulgarant, & cum iidem apostolica ei auctoritate mandassent, vt nec per se nec per alium impediret quin postulationes, electiones, & confirmationes ecclesiarum & monasteriorum in regno præfato libere de cetero fierent, secundum statutum Concilii generalis, & quod nullas deinceps in eodem regno viris ecclesiasticis ac rebus eorum imponeret tallias, vel collectas, quodque nullus ibidem clericus, vel persona ecclesiastica de cetero in ciuili vel criminali causa conueniretur coram iudice seculari, nisi super feudis quæstio ciuilitè haberetur, ac Templariis, Hospitalariis, & aliis personis ecclesiasticis de damnis & iniuriis irrogatis eisdem satisfaceret competenter, ipse mandatum huiusmodi adimplere contempsit. Liqueet namque vndecim aut plures archiepiscopales, & multas episcopales sedes, abbatias quoque, ac alias ecclesias ad præsens vacare in regno prædicto, easque procurante ipso, sicut aperte patet, fuisse diutius prælatorum regimine



destitutas, in graue ipsarum præiudicium & periculum animarum. Et licet forte in aliquibus eiusdem regni ecclesiis electiones sint a capitulis celebratæ, quia tamen per illa eiusdem familiares clerici sunt electi, probabili potest argumento concludi, quod facultatem non habuerunt liberam eligendi. Ecclesiarum autem ipsius regni non solum facultates & bona fecit, prout voluit, occupari, sed etiam cruces, thuribula, calices, & alios sacros earum thesauros, & pannos sericos, velut cultus diuini contemptor auferri, licet, vt dicitur, ipsis ecclesiis, exacto tamen prius pro eis certo precio, in parte fuerint restituti. Clerici quippe collectis & talliis multipliciter affliguntur, non solum trahuntur ad iudicium sæculare, sed, vt asseritur, coguntur subire duella, incarcerantur, occiduntur: & patibulis cruciantur, in confusionem & opprobrium ordinis clericalis: præfatis autem Templariis, Hospitalariis, & personis ecclesiasticis, non est de damnis illatis eisdem & iniuriis satisfactum. Eum quoque certum est fore sacrilegii patratores: nam cum præfati Portuensis & Prænestinus episcopi, & complures ecclesiarum prælati, & clerici tam religiosi quam sæculares, ad apostolicam sedem pro celebrando Concilio, quod prius ipse petiuerat, conuocati per mare venirent, viis terræ ipsis de mandato eius omnino præclusis, idem destinato Enzio filio suo cum multitudine galearum, & per alios complures longe ante serie præparatos in partibus Tusciæ maritimis insidiis positos contra eos, vt grauius posset virus vomere præconceptum, ipsos ausu sacrilego capi fecit, quibusdam prælatorum ipsorum, & aliis in huiusmodi captione submersis, nonnullis etiam interemptis, & aliquibus hostili insecutione fugatis, reliquis autem bonis spoliatis omnibus, & de loco ad locum in regnum Siciliae opprobriose deductis, ac ibidem diris carceribus mancipatis, quorum aliqui macerati squaloribus & inedia pressi miserabiliter defecerunt. Merito insuper contra eum de hæretica prauitate suspicio est exorta, cum postquam excommunicationis sententiam a præfatis I. episcopo Sabinensi, & T. cardinalibus prolatam incurrerit, & dictus G. papa ipsum anathematis vinculo innodauit, ac post ecclesie Romanæ cardinalium, prælatorum & clericorum, ac



aliorum etiam diuersis \* temporibus ad sedem apostolicam venientium captionem clauis ecclesie contempserit, & contemnat, \* sibi faciens celebrari, vel potius, quantum in eo est, profanari diuina: & constanter asseruit, vt superius est narratum, se praefati G. papae sententias excommunicationis non vereri. Praeterea coniunctus amicitia detestabili Saracenis nuntios & munera pluries destinauerit eisdem, & ab eis vicissim cum honorificentia & hilaritate receperit, ipsorumque ritus amplectitur, illos in quotidianis eius obsequiis notabiliter secum tenens. Eorundem etiam more vxoribus quas habuit de stirpe regia descendentes, eunuchos Capuae, quos, vt dicitur, serio castrari fecerat, non erubuit deputare custodes, & quod execrabilius est, olim existens in partibus transmarinis, facta compositione quadam, imo collusione verius, cum Soldano Machometi nomen in templo Domini diebus & noctibus publice proclamari permisit, & nuper nuntios Soldani Babyloniae, postquam idem Soldanus terrae sanctae ac Christianis habitatoribus eius per se ac suos damna grauissima & inestimabiles iniurias irrogarat, facit per regnum Siciliae cum laudibus ad eiusdem Soldani extolentiam, & sicut fertur, honorifice suscipi, & magnifice procurari. Aliorum quoque infidelium perniciosis & horrendis obsequiis contra fideles abutens, & illis qui damnablem vilipendentes apostolicam sedem ab unitate ecclesiae discesserunt procurans affinitate ac amicitia copulari, clarae memoriae ducem Bauariae, specialem ecclesiae Romanae deuotum, fecit, sicut pro certo asseritur, Christiana religione despecta per assassinos occidi, & Battatio Dei & ecclesiae inimico a communione fidelium per excommunicationis sententiam cum adiutoribus, consiliatoribus & fautoribus suis sollemniter separato filiam suam tradidit in vxorem; catholicorum vero principum actus & mores respuens, neglector salutis, & famae pietatis operibus non intendit, quinimo, vt de suis nefariis dissolutionibus sileamus, cum didicerit tantum opprimere, non curat oppressos misericorditer releuare, manu eius, vt decet principem Christianum, ad elemosynas inextenta, cum destructioni ecclesiarum institerit, religiosas ac alias ecclesiasticas iugi attriuerit afflictione & persecutionum



ANNO  
CHRISTI  
1245  
perſonas, nec eccleſias, nec monaſteria, nec alia pia lo-  
ca cernitur conſtruxiſſe. Nonne igitur hæc non leuia ſed  
efficacia ſunt argumenta de ſuſpicionem hæreſis contra  
eum, cum hæreticorum vocabulo illos ius ciuile con-  
tineri aſſerat, & latis aduerſus eos ſententiis debere ſuc-  
cumbere, qui vel leui argumento a iudicio catholicæ re-  
ligionis & tramite detecti fuerint deuiare? Præter hæc  
regnum Sicilia, quod eſt ſpeciale patrimonium beati  
Petri, & idem princeps ab apoſtolica ſede tenebat in  
feudum, iam ad tantam in clericis & laicis exinanitio-  
nem ſeruitutemque redegit, quod eis pene penitus ni-  
hil habentibus, & omnibus exinde probis fere eiectis, il-  
los qui remanſerunt ibidem ſub ſeruili quaſi conditione  
vivere, ac Romanam eccleſiam, cuius principaliter ſunt  
homines & vaſſalli, offendere multipliciter & hoſtiliter  
impugnare compellit. Poſſet etiam merito reprehendi,  
quod mille ſquiſatorum annuam penſionem, in qua pro  
eodem regno ipſi eccleſiæ Romanæ tenetur, per nouem  
annos & amplius ſoluere prætermiſit. Nos itaque ſuper  
præmiſſis & compluribus aliis eius nefandis exceſſibus  
cum fratribus noſtris & ſacro Concilio deliberatione  
præhabita diligenti, cum Ieſu Chriſti vices licet immeriti  
teneamus in terris, nobiſque in beati Petri apoſtoli per-  
ſona ſit dictum: *Quodcumque ligaueris ſuper terram, &c.* Math. 16.  
memoratum principem, qui ſe imperio & regnis omnique  
honore ac dignitate reddidit tam indignum, quique pro-  
pter ſuas iniquitates a Deo ne regnet vel imperet eſt ab-  
iectus, ſuis ligatum peccatis, & abiectum, omnique ho-  
nore & dignitate priuatum a Domino oſtendimus, de-  
nuntiamus, ac nihilo minus ſententiando priuamus; om-  
nes, qui ei iuramento fidelitatis tenentur adſtricti, a iura-  
mento huiuſmodi perpetuo abſoluentes: auctoritate a-  
poſtolica firmiter inhibendo, ne quiſquam de cetero ſi-  
bi tamquam imperatori vel regi pareat vel intendat, &  
decernendo quoſlibet, qui deinceps ei velut imperato-  
ri aut regi conſilium vel auxilium præſtiterint ſeu fa-  
uorem, ipſo facto excommunicationis vinculo ſubiace-  
re. Illi autem ad quos in eodem imperio imperatoris ſpe-  
ctat electio, eligant libere ſucceſſorem. De præfato ve-  
ro Sicilia regno prouidere curabimus, cum eorumdem



fratrum nostrorum consilio, sicut viderimus expedire.

Datum Lugduni decimosexto Kalendas Augusti, anno tertio.

INSTITVTIONES FACTÆ  
IN CONCILIO GENERALI  
apud Lugdunum.

TITVLI CAPITVLORVM.

- |  |   |
|--|---|
| I. De rescriptis.  | X. De confessis.                                    |
| II. De eodem.  | XI. De appellationibus & recusationibus.            |
| III. De electione & electi potestate.                      | XII. De sententia excommunicationis.                |
| IV. De officio & potestate iudicis delegati.               | XIII. De vsuris.                                    |
| V. De iudiciis.  | XIV. De subsidio imperii Constantinopolitani.       |
| VI. De lisis contestatione.                                | XV. Admonitio prelatorum ad populum sibi commissum. |
| VII. De dolo & contumacia.                                 | XVI. De Tartaris.                                   |
| VIII. De rescriptis.                                       | XVII. Super Crucciata.                              |
| IX. De eo qui mittitur in possessionem causa rei seruanda. |   |

CAPITVLA.

I.

CVM in multis iuris articulis infinitas reprobetur, \* proinde duximus statuendum, vt per illam generalem clausulam, Quidam alii, quæ frequenter in nostris literis inseritur, vltra tres vel quatuor in iudicium non trahantur; quorum nomina in primo citatorio exprimat impetrator, ne fraudi locus forsitan relinquatur, si circa ea possit libere variare.

II.

Præsenti decreto duximus statuendum, ne a sede apostolica vel delegatis ipsius causæ aliquibus committantur, nisi personis quæ vel dignitate sint præditæ, vel in ecclesiis cathedralibus, seu aliis

col-



ANNO  
CHRISTI  
1247.  
collegiatis honorabilibus constitutæ, nec alibi  
quam in ciuitatibus, vel locis magnis & insignibus,  
vbi haberi valeat iuris copia peritorum, causæ hu-  
iusmodi agitentur. Iudicibus vero, qui contra hoc  
statutum ad alia loca alterutram partium citaue-  
rint vel vtramque, non pareatur impune; nisi ci-  
tatio de communi vtriusque partis præcesserit vo-  
luntate.

III.

In electionibus & postulationibus, ac scrutiniis,  
ex quibus ius oritur eligendi vota conditionalia,  
alternatiua & incerta penitus reprobamus; sta-  
tuentes vt, huiusmodi votis pro non adiectis habi-  
tis, ex puris consensibus celebretur electio, voce  
illorum qui non pure consenserint ea vice in alios  
recidente.

IV.

Statuimus vt conseruatores, quos plerumque  
concedimus, a manifestis iniuriis & violentiis de-  
fendere possint quos eis committimus defenden-  
dos, nec ad alia quæ iudicalem indaginem exi-  
gunt suam valeant extendere potestatem.

V.

Iuris esse ambiguum non videtur, iudicem de-  
legatum (qui a sede apostolica ad hoc mandatum  
non receperit speciale) iubere non posse alter-  
utram partium coram se personaliter in iudicio  
comparere; nisi causa fuerit criminalis, vel nisi  
pro veritate dicenda, vel iuramento calumniæ fa-  
ciendo, iuris necessitas partes coram eo personali-  
ter exegerit præsentari.



## VI.

Exceptionis peremptoriæ, seu defensionis cuiuslibet principalis cognitionem negotii continentis ante litem contestatam obiectus, nisi de re iudicata vel transacta seu finita excipiat litigator litem contestationem, non impediat, nec retardet, licet dicat obiector non fuisse rescriptum obtentum, si quæ sunt impetranti opposita, fuissent exposita deleganti.

## VII.

Actor qui venire ad terminum ad quem citari aduersarium fecerat non curauit, venienti reo in expensis propter hoc factis legitime condemnatur; ad citationem aliam, nisi sufficienter cauerit quod in termino fideliter compareat, minime admittendus.

## VIII.

Dispendia litium æquitatis compendio volentes qua possumus industria coarctare, statutum felicis recordationis \* Innocentii papæ III. super hoc editum ampliantes, decreuimus vt si quis contra alium plures personales voluerit mouere quæstiones, non ad diuersos iudices, sed eosdem super omnibus huiusmodi quæstionibus literas studeat impetrare. Qui vero contrarium fecerit, omni commodo careat literarum, nec processus valeat habitus, per easdem alias reo, si eum per ipsas fatigauerit, in expensis legitimis condemnandus. Reus quoque si eodem durante iudicio actorem sibi obnoxium dixerit reconuentionis beneficio, vel conuentionis, si literas contra eum impetrare



ANNO CHRISTI 1245.  
maluerit, de iure suo debet apud eosdem iudices  
experiri, nisi vt eos suspectos poterat recusare si-  
mili pœna, si contrafecerit, puniendus.

IX.

Eum qui super dignitate, personatu, vel benefi-  
cio ecclesiastico obtinendis, cum aliquo litigat  
possessore, ob partis aduersæ contumaciam causa  
rei seruandæ in ipsorum possessionem statuimus  
non mittendum, ne per hoc ad ea ingressus pa-  
tere valeat vitiosus; sed liceat in hoc casu contu-  
macis absentiam, diuina replente præsentia, etiam  
lite non contestata diligenter examinato negotio  
ipsum sine debito terminare.

X.

Statuimus vt positiones negatiuas quæ proba-  
ri non possunt nisi per confessionem aduersarii,  
iudices admittere possint; si æquitate suadente vi-  
derint expedire.

XI.

Legitima suspicionis causa contra iudicē assigna-  
ta, & arbitris a partibus (secundum formam iuris)  
electis, qui de ipsa cognoscant, sæpe contingit,  
quod ipsis in idem conuenire nolentibus, nec tertiū  
aduocantibus, cum quo ambo, vel alter ipsorum,  
procedant ad decisionem ipsius negotii, vt tenen-  
tur, iudex proferat excommunicationis sententiam  
contra eos, quam ipsi tum propter odiū, tum pro-  
pter fauorem partium, diutius vilipendunt. Quare  
causa ipsa plus debito prorogata non proceditur  
ad cognitionem negotii principalis. Volentes igitur  
morbo huiusmodi necessariam adhibere me-



delam statuimus, vt ipsis arbitris per iudicem terminus competens præfigatur; infra quem in idem conueniant, vel tertium concorditer aduocent, cum quo ambo, vel alter ipsorum, eiusdem suspicionis negotium terminare procurent: alioquin iudex extunc in principali negotio procedere non omittat. XII.

Statuimus, vt nullus iudicum participantes cum excommunicatis ab eo in locutione, & aliis, quibus ligatur participans excommunicatione minori, ante commonitionem canonicam, excommunicare maiori excommunicatione præsumat, saluis constitutionibus contra illos legitime promulgatis, qui in crimine præsumunt participare damnato. Quod si ex locutione, & aliis, quibus participans labitur in minorem, excommunicatus fortius indurescat, poterit iudex post commonitionem canonicam huiusmodi participantes consimili damnare censura. Aliter autem in participantes excommunicatio prolata non teneat, & proferentes pœnam legitimam poterunt formidare.

## XIII.

Cura nos pastoralis sollicitat & hortatur, vt lapsis consulamus ecclesiis, & ne labantur in posterum prouideamus constitutione salubri. Cum igitur vsurarum vorago multas ecclesias pene destruxerit, & nonnulli prælati circa solutionem debitorum, præsertim a suis prædecessoribus contractorum, negligentes inueniantur admodum & remissi, ac ad contrahenda maiora debita, & ob-



ANNO  
CHRISTI  
1145.

ligandas res ecclesiæ nimis proni, desides etiam in custodiendis rebus inuentis, malentes in propriam laudem modicum noui facere, quam bona custodire, dimissa recuperare, deperdita restaurare, ac refarcire ruinas; nos, ne de cetero se de administratione tamen utili excusare, ac in prædecessores siue alios fundere valeant culpam suam, præsentis Concilii approbatione sancimus, vt pontifices, abbates, decani, ceterique legitimam & communem administrationem gerentes, infra vnum mensem, postquam administrationem adierint, intimato prius proxime superiori, vt per se vel per aliquam personam ecclesiasticam, idoneam & fidelem intersit, præsentibusque capitulo vel conuentu propter hoc specialiter euocatis, inuentarium rerum administrationis susceptæ confici faciant: in quo mobilia & immobilia, libri chartæ, instrumenta, priuilegia, ornamenta, seu paramenta ecclesiastica, & cuncta, quæ ad instructionem vr bani fundi seu rustici pertinent, nec non debita ac credita diligentissime conscribantur: vt in quo statu ecclesiam vel administrationem susceperint, & procedente tempore gubernarint, ac in morte vel cessione dimiserint, per superiorem, si necesse fuerit, & eos qui sunt ecclesiarum deputati seruitiis, liquido cognoscatur. Archiepiscopi vero, qui præter Romanum pontificem superiorem non habent aliquem ex suffraganeis, vt personaliter, vel per alium, vt est expressum superius, & abbates, ac alii prælati minores exempti, vnum vicinum episcopum, qui nihil iuris in exempta ec-



clesia sibi vindicet, ad id studeant euocare, dictum-  
 que inventarium tam substituti praelati, quam sui  
 collegii, nec non & superiores suffraganei, seu vicini  
 episcopi, ad hoc vocatorum muniatur sigillis, in ar-  
 chiuiis ecclesie cum cautela debita conseruandum,  
 & nihilo minus inventarii eiusdem transcriptum  
 tam idem institutus, quam praelatus ad hoc vocatus,  
 penes se habeat simile sigillatū. Inuenta quoque cu-  
 stodiantur fideliter, & de ipsis administratio digna  
 geratur, & comperta debita de mobilibus ecclesie,  
 si fieri potest, cum celeritate soluantur. Si vero mo-  
 bilia non sufficiant ad solutionem celerem facien-  
 dam, omnes prouentus in solutionem conuertan-  
 tur debitorum; quæ vsuraria fuerint, vel etiam one-  
 rosa, deductis de ipsis prouentibus expensis dum-  
 taxat necessariis, praelato collegioque rationabili-  
 ter computandis. Si autem debita non fuerint one-  
 rosa, vel vsuraria, tertia pars eorumdem prouen-  
 tuum, vel maior, cum illorum consilio quos ad  
 conficiendum inventarium vocandos diximus,  
 pro satisfactione huiusmodi deputentur. Porro  
 eiusdem Concilii auctoritate firmiter inhibemus,  
 ne prædicti personas suas, vel ecclesias sibi com-  
 missas, pro aliis obligent, nec pro se vel ipsis eccle-  
 siis contrahant debita, quibus possit imminere gra-  
 uamen. Si vero euidens vrgeat necessitas, vel eccle-  
 siarum rationabilis suadeat vtilitas, praelati cum su-  
 periorum, archiepiscopi & abbates exempti cum  
 prædictorum collegiorumque suorum consilio  
 & consensu debita non vsuraria, si potest fieri,  
 nunquam tamen in nundinis vel mercatibus pu-



ANNO  
CHRISTI  
1245  
blicis contrahant, & contractuum literis debito-  
rum & creditorum nomina, & causæ quare con-  
trahatur debitum, etiamsi in vtilitatem ecclesiæ sit  
conuersum, & ad id personas ecclesiasticas, vel  
ecclesias, nullatenus volumus obligari. Priuile-  
gia siquidem ecclesiarum, quæ securo loco fideli-  
ter custodiri mandamus, nequaquam pignori ob-  
ligentur, nec etiam res aliæ, nisi forte pro necessa-  
riis & vtilibus debitis cum prædicta solennitate  
contractis. Vt autem hæc salubris constitutio in-  
uiolabiliter obseruetur, & fructus appareat quem  
ex ipsa prouenire speramus, ordinandum duxi-  
mus, & irrefragabiliter statuendum, quod omnes  
abbates, & priores, nec non & decani, vel præposi-  
ti cathedralium seu aliarum ecclesiarum, semel sal-  
tem in anno in ipsorum collegiis districtam suæ  
administrationis faciant rationem, & coram supe-  
riore visitante conscripta & consignata huiusmo-  
di ratio fideliter recitetur. Archiepiscopi vero,  
& episcopi, statum administrationis bonorum ad  
mensam propriam pertinentium similiter singulis  
annis capitulis suis, & nihilo minus episcopi me-  
tropolitani, & metropolitani legatis apostolicæ  
sedis, vel aliis, quibus fuerit ab eadem sede suarum  
ecclesiarum visitatio delegata, insinuare debita fi-  
delitate procurent. Computationes vero conscri-  
ptæ semper in thesauro ecclesiæ ad memoriam re-  
feruentur, vt in computatione annorum sequen-  
tium præteriti temporis & instantis diligens ha-  
beatur collatio, ex qua superior administrantis di-  
ligentiam vel negligentiam comprehendat; quam



siquidem negligentiam, solum Deum habens præ oculis, hominis amore, odio, vel timore postpositis, tanta & tali animaduersione castiget, quod nec a Deo, nec a suo superiori, vel sede apostolica, mereatur propter hoc recipere ultionem. Non solum autem a futuris prælatis, sed etiam a iam promotis præsentem constitutionem præcipimus obseruari.

## XIV.

Arduis mens nostra occupata negotiis, curisque distracta diuersis, inter cetera, circa quæ attentionis inuigilat oculo, ad Constantinopolitani liberationem imperii suæ considerationis aciem specialiter dirigit; hanc ardenti desiderio concupiscit; erga eam iugi cogitatione versatur: & licet apostolica sedes pro ipsa grandis diligentia studio & multiplicis subuentionis remedio feruenter institerit, ac diu catholici non sine grauibus laboribus, & onerosis sumptibus, anxiiisque sudoribus, & deflenda sanguinis effusione, certauerint, nec tanti auxilii dextera imperium ipsum totaliter de inimicorum iugo potuerit, impredientibus peccatis, eripere, propter quod non immerito dolore turbamur; quia tamen ecclesie corpus ex membri causa cari, videlicet imperii præfati carentia, notam probrosæ deformitatis incurreret, & sustineret debilitatis dolendæ iacturam, possetque digne nostræ ac ipsius ecclesie desidia imputari, si fidelium destitueretur suffragio, & relinqueretur hostibus libere opprimendum, firma intentione proponimus eidem imperio efficaci & celeri subsidio



ANNO  
CHRISTI  
1245.

dio subuenire, vt, ecclesia feruenti ad illius exur-  
gente succursum manumque porrigente munitam,  
imperium ipsum de aduersariorum dominio erui  
valeat, & reduci, auctore Domino, ad eiusdem cor-  
poris vnitatem, sentiatque post conterentem ini-  
micorum malleum dexteram matris ecclesie con-  
solantem, & post assertionis erronee cecitatem  
visum, catholicæ fidei professione, resumat. Ad  
liberationem autem ipsius eo magis ecclesiarum  
prælatos, aliosque viros ecclesiasticos vigiles & in-  
tentos existere, ac opem & operam conuenit ex-  
hibere, quo amplius eiusdem fidei & ecclesiasticæ  
libertatis augmentum, quod per liberationem hu-  
iusmodi principaliter proueniret, procurare tenen-  
tur: maxime quia dum prædicto subuenitur impe-  
rio, consequenter subsidium impenditur terræ san-  
ctæ. Sane vt festina fiat & utilis imperio præfato  
subuentio, ex communi Concilii approbatione  
statuimus, vt medietas omnium prouentuum, tam  
dignitatum, & personatum, quam præbendarum  
ecclesiasticarum, aliorumque beneficiorum eccle-  
siasticorum, personarum illarum, quæ in ipsis resi-  
dentiam non faciunt personalem, per sex menses  
ad minus, siue vnum habeant, siue plura, eis qui  
nostris, & fratrum nostrorum, ac suorum præla-  
torum immorantur obsequiis, aut sunt in peregrina-  
tione, vel scholis, seu ecclesiarum suarum nego-  
tia de ipsorum mandato procurant, aut assumpse-  
runt vel assument Crucis signaculum in prædictæ  
terræ, vel personaliter in eiusdem imperii profici-  
scentur succursum, exceptis, & si aliqui eorundem



exceptorum, præter huiusmodi Crucesignatos, & proficiscentes, de redditibus ecclesiasticis ultra valentiam centum marcarum argenti percipiunt; annuatim tertia pars residui, ipsius imperii subsidio colligenda, per eos qui ad hoc apostolica fuerint ordinati prouidentia, vsque ad triennium integre deputentur, non obstantibus quibuscumque consuetudinibus vel statutis ecclesiarum, seu quibilibet indulgentiis ipsis ecclesiis vel personis ab apostolica sede concessis, iuramento aut quacumque firmitate alia roboratis: & si forte super hoc scienter fraudem commiserint, sententiam excommunicationis incurrant. Nos vero de obuentionibus ecclesiæ Romanæ, deducta prius ex eis decima succursui terræ deputanda prædictæ, decimam prædicti pro subuentione imperii plenarie tribuemus. Porro, cum idem iuuatur imperium, auxilium præstatur potissime ipsi terræ, ac ad recuperationem eius præcipue insistitur, dum ad ipsius liberationem imperii laboratur, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri & Pauli apostolorum auctoritate cõfisi, ex illa quam nobis, licet indignis, ligandi atque soluendi contulit potestate, omnibus eidem imperio succurrentibus illam suorum peccaminum veniam indulgemus, ipsosque illo priuilegio eaque volumus immunitate gaudere, quæ prædictæ terræ subuenientibus conceduntur.

XV.

Perennis obtentu patriæ a longis retro temporibus pro redimenda terra, quam Dei Filius asper-



ANNO  
CHRISTI  
1145

sione sui sanguinis consecrauit, vniuersitas filiorum ecclesie non solum expensas innumeras, sed inestimabilem cruoris affluentiam noscitur effuisse, sicut ex eo mœsti corde colligimus, quod pridem contra fideles pugnantibus impiis accidit in partibus transmarinis. Verum cum propter hoc sit in sedis apostolicæ voto potissimum, vt de ipsius redemptione terræ communis desiderii cito Deo propitio proueniat complementum, digne prouidimus, vt ad procurandum Dei fauorem vos nostris literis excitemus. Rogamus itaque vniuersitatem vestram, & obsecramus in Domino Iesu Christo, mandantes quatenus singuli vestrum fideles populos vestræ curæ commissos in vestris prædicationibus, vel quando pœnitentiam ipsis iniungitis, piis monitis inducatis, concessa super hoc, prout expedire videritis, indulgentia speciali, vt in testamentis, quæ pro tempore fecerint, aliquid in terræ sanctæ, vel imperii Romanicæ subsidium, pro suorum peccaminum remissione relinquunt: attentius prouisuri, vt quod ipsi ad Crucifixi reuerentiam habendo respectum in pecunia pro huiusmodi subuentione dederint, in certis locis sub sigillis vestris conseruari fideliter, & illa, quæ in rebus alijs ad hoc legata fuerint, diligenter in scriptis redigi faciatis. Hoc autem pietatis opus, in quo sola causa Dei quæritur, & salus fidelium procuratur, sic vestra sinceritas promptis sequatur affectibus, vt tandem securi de manu superni Iudicis cælestis gloriæ præmium expectetis.



Christianæ religionis cultum longius latiusque per orbem diffundi super omnia cupientes, inæstimabilis doloris telo transfodimur, si quando aliqui sic nostro in hac parte obuiant desiderio, affectu contrario & effectu, quod ipsum cultum delere penitus de terræ superficie omni studio totaque potentia moliuntur. Sane Tartarorum gens impia Christianum populum subiugare sibi, vel potius perimere, appetens, collectis iamdudum suarum viribus nationum, Poloniam, Rusciam, Hungariam, aliasque Christianorum regiones, ingressa, sic in eas depopulatrix insæuit, vt gladio eius nec ætati parcente nec sexui, sed in omnes indifferenter crudelitate horribili debacchante, inaudito ipsas exterminio deuastarit, ac aliorum regna continuato progressu illa sibi, eodem in vagina otari gladio nesciente, incessabili persecutione subternit, vt subsequenter in robore fortiores exercitus Christianos inuadens, suam plenius in ipso possit sæuitiam exercere, sicque orbatō (quod absit) fidelibus orbe, fides exorbitet, dum sublato sibi gemuerit ipsius gentis feritate cultores. Ne igitur tam detestanda gentis eiusdem intentio proficere valeat, sed deficiat, auctore Deo, potius, & contrario concludatur euentu, ab vniuersis Christianis attendenda est consideratione pensandum, & procurandum studio diligenti, vt sic illius impediatur processus, quod nequeat ad ipsos vltius quantumcumque potenti armato brachio pertransire. Ideoque, sacro suadente Concilio, vniuersitatem



ANNO  
CHRISTI  
1245

vestram monemus, rogamus, & hortamur, attente mandantes, quatenus viam & aditus, vnde in terram nostram gens ipsa posset ingredi, solertissime perscrutantes, illos fossatis vel muris, seu aliis ædificiis, aut artificijs, prout expedire videritis, taliter præmunire curetis, quod eiusdem gentis ad vos ingressus patere de facili nequeat. Sed prius apostolicæ sedis suus denuntiari possit aduentus, vt, ea vobis fidelium destinante succursum, contra conatus & insultus gentis ipsius tuti esse, adiutore Domino, valeatis. Nos enim in tam necessariis & vtilibus expensis, quas ob id feceritis, contribuemus magnifice, ac ab omnibus Christianorum regionibus, cum per hoc occurratur communibus periculis proportionaliter contribui faciemus, & nihilo minus super his aliis Christi fidelibus, per quorum partes habere posset aditum gens prædicta, literas præsentibus similes destinamus.

XVII.

Afflicti corde pro deplorandis terræ sanctæ periculis, sed pro illis præcipue, quæ constitutis in ipsa fidelibus noscuntur nouiter accidisse, ad liberandam ipsam, Deo propitio, de impiorum manibus, totis affectibus aspiramus, diffinientes, sacro approbante Concilio, vt ita Crucesignati se præparent, quod opportuno tempore vniuersis insinuando fidelibus per prædicatores, & nostros nuntios speciales, omnes, qui disposuerint transfretare, in locis idoneis ad hoc conueniant: de quibus in eiusdem terræ subsidium cum diuina & apostolica benedictione procedant. Sacerdotes



autem, & alii clerici qui fuerint in exercitu Christiano, tam subditi quam praelati, orationi & exhortationi diligenter insistant, docentes eos verbo pariter & exemplo, vt timorem & amorem Domini semper habeant ante oculos, ne quid dicant aut faciant, quod aeterni Regis maiestatem offendat. Et si quando in peccatum lapsi fuerint, per veram poenitentiam mox resurgant, gerentes humilitatem cordis & corporis, & tam in victu quam in vestitu mediocritatem seruantes, dissensiones & aemulationes omnino euitando, rancore ac liuore a se penitus relegatis; vt sic spiritualibus & materialibus armis muniti aduersus hostes fidei securius praelientur, non de sua praesumentes potentia, sed de diuina virtute sperantes. Nobiles quidem & potentes exercitus ac omnes diuitiis abundantes piis praelatorum monitis inducantur, vt intuitu Crucifixi, pro quo Crucis signaculum assumpserunt, ab expensis inutilibus & superfluis, sed ab illis praecipue quae fiunt in comessationibus & conuiuuiis, abstinentes, eas commutent in personarum illarum subsidium, per quas Dei negotium valeat prosperari; & eis propter hoc iuxta praelatorum ipsorum prouidentiam peccatorum suorum indulgentia tribuatur. Praedictis autem clericis indulgemus vt beneficia sua integre percipiant per triennium, ac si essent in ecclesiis residentes, & si necesse fuerit, ea per idem tempus pignori valeant obligare. Ne igitur hoc sanctum propositum impediri vel retardari contingat, vniuersis ecclesiarum praelatis districte praecipimus



ANNO  
CHRISTI  
1245  
vt singuli per loca sua illos, qui signum Crucis  
deposuerunt, resumere, ac tam ipsos quam alios  
Crucesignatos, & quos adhuc signari contigerit,  
ad reddendum Domino vota sua diligenter mo-  
neant & inducant, & si necesse fuerit, per excom-  
municationis in personas, & interdicti sententias  
in terras ipsorum, omni tergiuersatione cessante,  
compellant. Adhuc, ne quid in negotio Domini  
nostri Iesu Christi de contingentibus omittatur,  
volumus & mandamus, vt patriarchæ, archiepi-  
scopi, episcopi, abbates, & alii qui curam obtinent  
animarum, studiose proponant commissis sibi ver-  
bum Crucis, obsecrantes per Patrem, & Filium, &  
Spiritus sanctum, vnum, solum, verum, æternum  
Deum, reges, duces, principes, marchiones, co-  
mites & barones, aliosque magnates, nec non com-  
munia ciuitatum, villarum & opidorum, vt qui  
personaliter non accesserint in subsidium terræ  
sanctæ, competentem conferant numerum bella-  
torum, cum expensis ad triennium necessariis, se-  
cundum proprias facultates, in remissionem suo-  
rum peccaminum, prout in generalibus literis, quas  
pridem per orbem terræ misimus, est expressum,  
& ad maiorem cautelam inferius etiam exprime-  
tur.

Huius remissionis volumus esse participes non  
solum eos qui ad hoc naues proprias exhibebunt,  
sed illos etiam qui propter hoc opus naues studue-  
rint fabricare. Renuentibus autem, si qui forte tam  
ingrati fuerint Domino Deo nostro, ex parte apo-  
stolica firmiter protestentur, vt se sciant super hoc



nobis in nouissimo districti examinis die coram tremendo Iudice responsuros, prius tamen considerantes, qua scientia quave securitate comparere poterunt coram vnigenito Dei Filio Iesu Christo, cui omnia dedit Pater in manus, si ei pro peccatoribus crucifixo seruire renuerint in hoc negotio quasi proprie sibi proprio, cuius munere viuunt, cuius beneficio sustentantur, quin etiam cuius sanguine sunt redempti. Ceterum ex communi Concilii approbatione statuimus vt omnes omnino clerici, tam subditi quam praelati, vigesimam ecclesiarum prouentuum vsque ad triennium conferant in subsidium terræ sanctæ per manus eorum qui ad hoc apostolica fuerint prouidentia ordinati, quibusdam dumtaxat religiosis exceptis, ab hac præstatione merito eximendis, illisque similiter qui assumpto vel assumendo Crucis signaculo sunt personaliter profecturi. Nos & fratres nostri sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales plenarie decimam persoluemus, sciantque se omnes ad hoc fideliter obseruandum per excommunicationis sententiam obligatos, ita quod illi, qui super hoc fraudem scienter commiserint, sententiam excommunicationis incurrant.

Sane quia iusto iudicio cælestis imperatoris obsequiis inhærentes, speciali decet prærogatiua gaudere, Crucesignati a collectis vel talliis aliisque grauaminibus sint immunes, quorum personas & bona post Crucem assumptam sub beati Petri & nostra protectione suscipimus: statuentes vt sub archiepiscoporum, episcoporum, ac omnium præ-  
lato-



ANNO  
CHRISTI  
1245

latorum ecclesiæ Dei defensione consistant, propriis nihilo minus protectoribus ad hoc specialiter deputandis, ita vt, donec de ipsorum reditu vel obitu certissime cognoscatur, integra maneant & quieta: & si quisquam contra præsumpserit, per censuras ecclesiasticas compescatur.

Si qui vero proficiscentium illuc ad præstandas vsuras iuramento tenentur adstricti, creditores eorum vt remittant eis præstitum iuramentum, & ab vsurarum exactione desistant, eadem præcipimus districtione compelli. Quod si quisquam creditorum eos ad solutionem coegerit vsurarum, eum ad restitutionem earum simili cogi animaduersione mandamus.

Iudæos vero ad remittendas vsuras per sæcularem compelli præcipimus potestatem, & donec illas remiserint ab vniuersis Christi fidelibus per excommunicationis sententiam eis omnino communio denegetur. Iis qui Iudæis nequeunt solvere debita in præsentem, sic principes sæculares utili dilatione prouideant, quod post iter arreptum, quousque de ipsorum reditu vel obitu cognoscatur, vsurarum incommoda non incurrant, compulsis Iudæis prouentus pignorum, quos ipsi interim perceperint in sortem, expensis deductis necessariis computare: cum huiusmodi beneficium non multum videatur habere dispendii, quod solutionem sic prorogat, quod debitum non absorbet. Porro ecclesiarum prælati, qui in exhibenda iustitia Crucesignatis & eorum familiis negligentes extiterint, sciant se grauiter puniendos.



Ceterum quia cursarii & piratæ nimis impediunt subsidium terræ sanctæ, capiendo & spoliando transeuntes ad illam, & redeuntes ab ipsa, nos eos & principales adiutores & fautores eorum excommunicationis vinculo innodamus; sub interminatione anathematis inhibentes, ne quis scilicet cum eis communicet in aliquo venditionis vel emptionis contractu, & iniungentes rectoribus civitatum, & locorum suorum, vt eos ab hac iniquitate reuocent & compescant. Alioquin, quia nolle perturbare peruersos, nihil est aliud quam fovere, nec caret scrupulo societatis occultæ qui manifesto facinori desinit obuiare, in personas & terras eorum per ecclesiarum prælatos seueritatem ecclesiasticam volumus & præcipimus exerceri. Excommunicamus præterea & anathematizamus illos falsos & impios Christianos, qui contra ipsum Christum & populum Christianum arma, ferrum, & lignamina deferunt galearum: eos etiam qui galeas eis vendunt, vel naues, quique in piraticis Saracenorum nauibus curam gubernationis exercent, vel in machinis, aut quibuslibet aliis, aliquid eis impendunt auxilium vel consilium, in dispendium terræ sanctæ, ipsosque rerum suarum priuatione mulctari, & capientium fore censemus seruos. Præcipientes, vt per omnes vrbes maritimas omnibus diebus dominicis & festiuis huiusmodi sententia publice innouetur, & talibus gremium non aperiatur ecclesiæ, nisi totum quod de commercio tam damnato perceperint, & tantumdem de suo, in subsidium prædictæ terræ transmise-



ANNO  
CHRISTI  
1145  
rint, vt æquo iudicio in quo peccauerint punian-  
tur. Quod si forte non fuerint soluendo, sic alias  
reatus talium castigetur, quod in pœna ipsorum a-  
liis interdicator audacia similia præsumendi.

Prohibemus insuper omnibus Christianis, &  
sub anathemate interdiciamus, ne in terras Sara-  
cenorum, qui partes orientales inhabitant, vsque  
ad quadriennium transmittant vel transfuehant na-  
ues suas, vt per has volentibus transfretare in sub-  
sidium terræ sanctæ maior nauigii copia præpa-  
retur, & Saracenis prædictis subtrahatur auxi-  
lium quod eis consuevit ex hoc non modicum  
prouenire. Licet autem torneamenta sint in diuer-  
sis Conciliis sub certa pœna generaliter interdi-  
cta, quia tamen hoc tempore Crucis negotium  
per ea plurimum impeditur, nos ea sub pœna ex-  
communicationis firmiter inhihemus vsque ad  
triennium exerceri. Quia vero ad hoc negotium  
exequendum est permaxime necessarium vt prin-  
cipes & populi Christiani adinuicem pacem ob-  
seruent, sancta & vniuersali Synodo suadente, sta-  
tuimus vt per quadriennium in toto orbe Chri-  
stiano pax generaliter obseruetur, ita quod per ec-  
clesiarum prælatos discordantes reducantur ad ple-  
nam pacem, aut firmam treguam inuiolabiliter  
obseruandam: & qui acquiescere forte contem-  
pserint, per excommunicationem in personas, &  
interdictum in terras, arctissime compellantur, ni-  
si tanta fuerit iniuriarum malitia, quod ipsi non  
gaudere debeant tali pace. Quod si forte censu-  
ram ecclesiasticam vilipenderit, poterunt non



immerito formidare, ne per auctoritatem ecclesie contra eos, tamquam perturbatores negotii Crucifixi, sæcularis potentia inducatur. Nos ergo de omnipotentis Dei misericordia & beatorum apostolorum Petri & Pauli auctoritate confisi, ex illa quam nobis, licet indignis, Deus ligandi atque soluendi contulit potestate, omnibus, qui laborem istum in propriis personis subierint & expensis, plenam suorum peccaminum, de quibus fuerint corde contriti & ore confessi, veniam indulgemus, & in retributione iustorum salutis æternæ pollicemur augmentum. Eis autem, qui non in propriis personis illuc accesserint, sed in suis dumtaxat expensis iuxta facultatem & qualitatem suam viros idoneos destinauerint, & illis similiter, qui licet in alienis expensis, in propriis tamen personis accesserint, plenam suorum concedimus veniam peccatorum. Huiusmodi quoque remissionis concedimus esse participes, iuxta quantitatem subsidii, & deuotionis affectum, omnes qui ad subuentionem ipsius terræ de bonis suis congrue ministrabunt, aut circa prædicta consilium & auxilium impenderit opportunum. Omnibus etiam pie proficiscentibus in hoc opere sancta & vniuersalis Synodus orationum & beneficiorum suorum suffragium impartitur, vt eis digne proficiat ad salutem. Amen.



IN

ANNO  
CHRISTI  
1245

**CONCILIVM LVGDVNENSE I.**  
OECVMENICVM SIVE VNIVERSALE XIII.  
approbatum centum & quadraginta episcoporum  
<sup>b</sup> causa Friderici II. imperatoris, expeditionisque in  
terram sanctam suscipienda, celebratum anno Domi-  
ni MCCXLV. tempore Innocentii papæ IV.

NOTÆ.

<sup>a</sup> *Concilium.*] Hanc sacrosanctam Synodum auctoritate legitima & ordinaria a solo pontifice Innocentio indictam & congregatam esse indicat epistola eiusdem papæ, qua omnes episcopos, reges ac principes Christiani orbis ad synodicam hanc congregationem conuocauit. Eam quam in Angliam misit, extat apud Matthæum Paris, qui dum scripisset ista, *Anno eodem 1245. circa medium quadragesima, venerunt nuntii domini papæ in Angliam, de conuocando Concilio generali tale mandatum papale baiulantes, subiungit epistolam quæ talis est:*

A quo indi-  
ctum hoc  
Concilium.

*Innocentius episcopus seruus seruorum Dei dilectis filiis, abbatibus,  
& prioribus per Angliam constitutis, salutem  
& apostolicam benedictionem.*

**D**EI virtus, & Dei sapientia, cuius ineffabili subiecta sunt omnia maiestati, &c. ut supra in epistola ad archiepiscopum Senonensem.

<sup>b</sup> *Causa Friderici, &c.*] Acta Concilii paulo aliter quam supra describit Matthæus Paris his verbis: *Altius igitur solis orbita cursum suum peragente, videlicet circa æstatis medium, congregati sunt Lugduni ex totius fere Christianitatis latitudine prelati venerabiles, vel eorum idonei, imperatoris quoque, & multorum principum, aliorumque, procuratores, secundum papalis mandati tenorem Concilium celebraturi. Absentes autem quamplurimi prelatorum per eos quos promiserunt procuratores sese ex legitimis causis sufficienter excusarunt: sicut quidam ex Anglorum regno, ut supra latius dictum est. Inter quos abbas sancti Albani, corpore grauis, & iam ad senilem declinans ætatem, magistro Martino, qui tunc temporis in Anglia prospere commorabatur, testimonium veritati super hoc perhibente, se rationaliter per quemdam monachum suum, Ioannem videlicet de Bulum, & quemdam clericum suum magistrum Rogerum de Holdene, suam excusauit absentiam, & sic indemnis & quietus remansit, domino papa per ipsos ciuilitate salutato. Verumtamen de regno Hungaria, qua pro multa sui parte per Tartaros est vastata, nulli venerunt. De Alemannia bello imperiali per-*

Qui, quot  
& quales  
Concilio  
interfue-  
runt.

LII iij



turbata, pauci pralati ad Concilium minime conuenire potuerunt. De terra vero sancta, qua multo patuit discrimini, nullus penitus potuit illuc aduenire, sed nec aduocari. Occasionaliter tamen illuc aduenit de terra sancta episcopus Berytensis, totius Syria nuntius generalis, & Syndicus omnium Christianorum terra sancta, mandatum baiulans lugubre de exterminio, permittente Deo, in terra sancta perpetrato.

Quando  
Synodus  
inchoata.

Dum autem dominus papa multos iam pralatos, licet tamen non omnes, vidisset congregatos, die Luna proxima post festum natiuitatis sancti Ioannis Baptista, intrauit dominus papa cum fratribus cardinalibus, patriarchis, archiepiscopis, episcopis, & aliis pralatis, ad Concilium conuocatis, simul & procuratoribus absentium tam principum quam pralatorum, in refectorium religiosorum sancti Iusti apud Lugdunum. Fuerunt itaque ibidem, absque cardinalibus, duo patriarcha, scilicet Constantinopolitanus, qui & Antiochenus, & patriarcha Aquileia, qui & Venetia, imperator quoque Constantinopolitanus, comes etiam Tolo- sanus, & procuratores Angliae, comes Bigod, cum sociis suis nobilibus, archiepiscopi vero & episcopi centum & quadraginta. Proposuitque patriarcha Constantinopolitanus statum & necessitates ecclesie sue, asserens quod olim habuit sub se suffraganeos plusquam triginta, quorum vix iam tres remanserunt. Subiungens insuper, quod Graci, & quidam alii inimici ecclesie Romanae, totum iam imperium Romaniae fere usque ad portas ciuitatis Constantinopolis violenter occuparunt, qui in nullo Romanae ecclesie obediunt, ipsamque detestantes, hostiliter eidem aduersantur. Vnde dolor & confusio omnium Christianorum imminet, cum ipsa sua ecclesia primo fuisset priuilegiata, & merito plus ceteris honoranda: primo enim constat beatum Petrum Antiochia, quae ciuitas Graecorum imperio vel regno subiecta est, ab antiquo sedisse, & inde Simonem magum & alios hereticos confusos aufugasse. Ad quod papa tacuit. Consequenter propositus fuit sermo fidelis, & omni acceptione dignus, de canonizatione scilicet beati Edmundi Cantuariensis archiepiscopi, quem Dominus euidentissimis miraculorum signis illustrauit. Cuius rei assertioni cum constanter testimonium octo archiepiscopi & circiter viginti episcopi perhibuissent, & instanter vt in ipso Concilio veneranter ad maiorem solennitatem canonizaretur postularent, ait dominus papa, non suo sed aliorum spiritu inuidorum auersus, dicens: Vrgent nos dilationem non capientia ecclesie nimis ardua negotia, quare hoc merito ad praesens tempus suspendere debeat expectatum. Sed, vita comite, in posterum neglectui non commendabitur: & quia Deus & mundus sanctitati & virtutibus eius perhibent testimonium, in Domino gaudemus, & gratias ipsi referimus vberiores. Adfuit etiam praesens ibidem Thadaeus de Sues- sa, domini imperatoris Friderici procurator, vir prudens, & eloquentia singularis, miles, & legum doctor, & sacri palatii iudex imperialis, pro domino suo imperatore tam constanter quam diligenter responsurus. Pro cuius pace, & pristina amicitiae reformatione, obtulit pro domino suo imperatore confidenter, ad unitatem Romanae ecclesie totum Romaniae, id est Graeciae, imperium reuocare: & quod sese Tartaris, & Choro- rosminis, & Saracenis, & aliis ecclesie hostibus & contemptoribus,

1. propo-  
sio.

2. propo-  
sio.

Thadaeus  
Friderici II.  
procurator.



Christo fideliter militando, potenter opponet, & quod statum terra sancta, discrimini magno & manifesto periculo iam patentem, suis sumptibus propriis personaliter, pro posse suo, reformabit, & ablata Romana ecclesia restituendo, de iniuriis satisfacere. Ad qua omnia respondit dominus papa, dicens exclamando: O quam multa & quam magna sunt promissa, nunquam vel nusquam tamen adimpleta vel adimplenda. Sed & hac, ut constat, sunt promissa, ut securis iam ad radicem posita, illuso Concilio & soluto, per dilationem auertatur. Pacem nuper in anima sua iuratam secundum formam prestiti sacramenti teneat, & acquiesco. Porro

Acta prima  
fessionis  
quae?

Quo teneam nodo mutantem Protea vultus?

Et si concederem sibi postulata, & resilire vellet (nec aliud spero) quis nunc pro eo cauens fideiuberet, ut cogeret resilientem? Et cum duos reges, videlicet Francorum & Anglorum, Thadæus ad hoc spondisset fideiussores, respondit dominus papa: Nolumus. Quia si pacta commutasset, vel penitus infirmasset, (nec aliud credimus, propter frequentiam) aliquo tempore in posterum oporteret nos animaduertere in eosdem: & tunc haberet ecclesia tres, quibus non sunt in seculari potentia maiores, imo nec pares, inimicos. Et cum procuratio Thadæi ad hoc non sufficeret, neque temporis satis habuerit ut hac consummarentur competenter, siluit contristatus.

Episcopus autem Berytensis, nomine Gualerannus, qui iam sex mensibus per maris & vno per terrarum discrimina labores itinerum, ut praedictum est, continuauerat, ut casum terra sancta nuntiaret, auxilium & consilium impetrando, legi fecit literas, quas magnates, qui residui erant in terra sancta, omnibus Christianis occidentalibus miserant consignatas, per os fratris Arnulphi de ordine Predicatorum, in publico: quae litera prescribuntur in praecedentibus. Quorum tenor lugubris omnes audientes ad lacrymarum, nec immerito, mouit effusionem.

Feria vero quarta sequente intrauit dominus papa ecclesiam sancti Ioannis, indutus pontificalibus, cum omnibus aliis supradictis, veste nuptiali, prout singulis pertinuit, adornatis. Et facta inuocatione Spiritus sancti, cum litanis sequente, & aliis rite peractis, predicauit dominus papa, preponens & singulis interpositis proponens hoc thema: O vos omnes qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor sicut dolor meus. Et satis eleganter sermonem continuans, comparauit quinque dolores suos maximos quinque vulneribus & plagis Crucifixi. Vnum, de inhumanis & feraliter Christianitatem vastantibus Tartaris. Alium, pro schismate Romania, id est Graecae ecclesiae, qua nostris temporibus & paucis euolutis annis a gremio matris suae, velut nouerca, insolenter & insolenter decisa est & auersa. Alium, pro serpigine nouarum haeresum, scilicet Patarenorum, Bulgarorum, Iouinianorum, & aliorum schismatum, sectarum, & errorum, quae iam multas ciuitates Christianitatis, praecipue tamen Lombardiae, subrependo maculauit. Alium, de terra sancta: in qua Chorosnini detestabiles domos Templi & Hospitalis, ciuitatem quoque Ierusalem, & alias multas Christianorum ciuitates, cum magno Christiani sanguinis profuuiio usque ad internecionem,

Sessionis 2.  
acta quae  
sunt?

Thron. 1.



Friderici  
crimina  
proponun-  
tur a papa:  
refutantur  
a Thadaeo.

solo tenuis diruendo destruxerunt. Alium vero, de principe, id est imperatore. Qui cum esse teneretur summus secularium economus, & protector ecclesie, hostis factus familiaris, ecclesie Christi efficax & validus factus est inimicus, & ministrorum eius aduersarius iam manifestus. Et persecutus dominus papa materiam hanc quantum videbatur expedire, cunctos audientes dolore compassionis salubriter sauciauit. Exitus enim aquarum deduxerunt oculi eius, & singulius sermonem proruperunt. In fine autem predicationis sua proposuit enormitates imperatoria Friderici, scilicet heresim, sacrilegium, & inter alia mala, quod ciuitatem quamdam in Christianitate construxerat nouam, fortem & magnam, quam Saracenis populauerat, ipsorum utens, sed potius abuens, ritibus & superstitionibus, spreto Christianorum consilio & religione: familiaritatemque specialem contraxerat, ut asserbat, cum Soldano Babylonia, & quibusdam aliis Saracenorum primatibus: distractusque & obscænis illecebris, concubitu muliercularum, vel potius meretricularum Saracenicarum, indifferenter & impudenter polluebatur. Imponebatque ei multiplex periurium: & quod spreto veritatis tenore, nunquam pacta, nusquam promissa conseruabat. Super quibus, ut magis audientes certificaret, signorum imperialium de auro appensione communitas ostendit epistolas multas & multiplices, quibus euidenter arguit & redarguit ipsum imperatorem super periurio. Quibus etiam verbis alacriter se opposuit Thadaeus, se tunc erigens imperterritus in publico, ostendens e contra literas papales bullatas, que videbantur iam dictis obuiare. Verumtamen diligenter inspecto utrarumque tenore, quem longum esset in hoc scripto dilucidare, & plenius demonstrare, non sibi adinuicem contradictorie aduersabantur, cum papales epistole conditionales fuissent, imperatorie vero absolute: & apparuit lesio fidei manifeste ex parte imperatoris, qui cum omnia absolute promiserat, nec inde aliquid secundum promissa compleuerat. Ad quod Thadaeus diligenter & multipliciter, secundum saltem apparentes rationes, nitebatur respondere, dominum suum imperatorem excusando, literas alias ex aduerso papales ostendens, & asserens quod in eis continebatur non fuisse obseruatum: unde dominum suum imperatorem suis promissis parere non debuisse. Ad hoc autem quod de heresi dominus imperator accusabatur, respondit, respiciens omnes ibidem congregatos, quasi omnes alloquens: Domini mei, super isto articulo, qui est grauissimus, non possit quis certificari, nisi esset dominus meus imperator presens, ut ex oris sui assertione elici possit quod in cordis sui lateo secretario. Sed quod non sit hareticus, probabile potest haberi argumentum. Non enim in imperio, vel regnis suis, aliquem usurarium habitare permittit. In hoc curiam Romanam redarguens, quam constat hoc vitio maxime laborantem.

Ad hoc autem, quod obiectum fuerat, quod imperator specialem habet familiaritatem, & suspectam nimis, cum Soldano Babylonia, & quibusdam aliis Saracenis, quos terram suam permittit inhabitare: respondit Thadaeus, hoc vltro factum & prudenter esse; ad rebellionem scilicet quorundam & insolentiam reprimendam sibi iure subditorum, & seditionem expurgandam. Vtitur enim ipsis in expeditionibus, quo-



rum non aestimat casum alicui Christiano deplorandum, & sic parcat Christiano sanguini, ne frustra effundatur. Muliercularum itaque Saraceno-  
rum non vititur concubitu: & quis hoc posset probare? sed ioculatione, & quibusdam artificibus muliebribus, quas iam, quia suspectas, amouit irredituras. Hac autem cum Thadeus dicta consummasset, supplicauit humiliter sibi concedi modicam saltem dilationem inducibilem, ut domino suo imperatori nuntiare posset, & tam affectuose quam efficaciter consulendo persuadere, ut personaliter ad Concilium, quod eum expectauit, venire properaret, aut vltiorem concederet eidem potestatem. Ad quod dominus papa respondit: Absit hoc. Timeo laqueos quos vix euasi. Si enim veniret, statim recederem. Non adhuc opto sanguinem, nec me sentio aptum aut paratum martyrio vel custodia carcerali. Sequenti vero die, ad instantiam procuratorum regum Francorum & Anglorum, maxime vero Anglorum, qui periculo & dedecori eius plus aliis, propter affinitatem inter ipsum imperatorem & regem Anglorum, & fœdus amicitie contractum, tanti principis condolerunt, concessa sunt ipsi Thadeo induciae fere duarum hebdomadarum, non sine multorum grauamine Lugduni expectantium. Hac cum ipsi imperatori per ordinem omnia nuntiarentur, in molestia magna dixisse perhibetur: Video luce clarius, quod ad confusionem meam toto conamine aspirat papa. Stimulat enim eum libido & pruritus vlciscendi in me, eo quod parentes eius Ianuenses piraticos, antiquos & publicos imperii inimicos, simul cum prelatiis, quorum duces erant & tutores, in mari capi fecerim & incarcerari. Quia nec ob aliud constat eum Concilium conuocasse, nec sacrum decet imperium maxime aduersantis iudicio fisci synodali. Hac cum ad notitiam domini papa & totius vniuersitatis peruenerunt, quod scilicet, sic dicens noluit iuri pariturus accedere, recesserunt a fauore eius multi qui hactenus certatim cum eo steterunt, Anglis pro eo maxime redargutis. Constante igitur & acerrime in pleno & iam plenissimo Concilio imperator Fridericus, quasi toti ecclesie contumax & rebellis, a quatuor mundi partes inhabitantibus accusatur. Ex quibus cum vnus assurgens archiepiscopus ipsum instantius accusaret, obiciens ei nimis enorme crimen, lese scilicet maiestatis in dicta prelatorum captione, & aliis grauibus criminibus, respondit iam fere solus stans Thadeus pro domino suo imperatore, ipsum respiciens accusantem: Non tibi fides adhibenda est, sed nec verbis tuis silentium accommodandum: filius enim es proditoris, iudicialiter in curia domini mei conuicti & suspensi, cuius tu sequens vestigia, niteris patri stare. Siluit igitur ille accusator, amplius mutire nec ausus nec permissus. Eodemque modo quorundam aliorum accusationes tam prudenter quam audacter contradicendo cassauit magister Thadeus. Verumtamen cum a multis in mari submerforum & incarceratorum consanguineis & amicis, resumpto adhuc sermone & spiritu rediuiuo, eo fortius & confidentius quo iam fauorem eius declinare viderent, ipse imperator de captione sepe dicta accusaretur, respondit Thadeus: Vere doluit super hoc dominus meus, & hoc preter intentionem suam & occasionaliter contigit. Sed non potuit ipsos prelatos ab inimicis suis in illo repentino & vehementi assultu & nauali pralio, ut bene sciri potuit, sequestrare, quin indifferenter cum hostibus

Contumacis crimina accusantur, quæ Thadeus purgare studet.



involuerentur. Et si presens dominus meus imperator ibidem extitisset, utique diligenter liberationi eorum insudasset. Ad hoc dominus papa replicauit: Post eorum captionem, quare in fontes, aliis retentis, liberos abire non permisit, licet iniuria multiformiter afflictos? Ad quod Thadeus: Recolendum est quod alterata forma conuocationis & aduentus prelatorum ad Concilium sub Gregorio papa celebrandum conuocandorum, mutabatur in deterius, & merito cor domini mei imperatoris etiam immutatum exasperabatur. Quia idem papa cum vocandos tantum vocare debuisset, publicos imperii conuocauit inimicos: laicos nempe armata manu communitos, utpote comitem de Prouincia, & alios: ut patet in epistola regi Anglorum scripta, quam superius recitauimus. Quos constabat non esse propter eorum sapientiam vocatos, vel ad pacem componendam, sed seditionem potius commouendam. Vnde tam in Angliam quam alias missis epistolis regiones, amicabilem prelati singulis supplicauit dominus meus imperator, ne ad tam subdolum conuenirent Concilium, prenoscens eos, si uenirent cum hostibus suis & imperii, inuadendos: denegauitque eis per suam securum transitum ditionem: sicque misericorditer & ciuiler ipse de imminente periculo premunuit. Vnde non immerito tradidit eos Dominus in manus eius quem superbe contempserunt. Adhuc tamen cum iratus fuit, misericordia recordatus, uoluit ipsos prelatos & alios imbelles in pace dimittere, suorum emollitis consiliis fidelium, cum ecce Prenestinus, & quidam alii procaces, minas minis accumulantes, dominum meum in facie etiam uinculati non desistebant excommunicare, immemores illius salubris consilii: Humiliamini sub potenti manu. Sicque imbelles de rebellibus, imo imbecilles, sic facti sunt de amicis inimici merito incarcerandi. Ad quod papa: Presumpsisse debuit dominus tuus imperator, quod tantum bonorum, & tanta congregatio virorum, nisi de sua causa discederet, eum potius absoluisset, si absolendus fuisset, quam ligasset. Sed ex hoc manifeste patet, quod sua ipsum conscientia remordebat, & peccatum, quo reus exiit, sauciarat. Ad quod Thadeus: Quomodo confidere posset dominus meus, ut coniunctos hostibus haberet propitios in Concilio, ubi presidere habuit domini mei inimicus capitalis, scilicet papa Gregorius, cum recalcitrantes uideret eos & comminantes etiam compeditos? Ad quod papa: Et si vnus obiurgans gratiam demeruisset, quare alios innocuos communi inuoluit calamitate? Multiplici merito nihil aliud quam sua ignominiosa imminet depositio. Quod cum intellexissent Angli, reclamauerunt pro prole sua, ne filius patris iniquitatem portaret, nec riuus sanguinis ab origine contaminaretur.

Sessione 3.  
Thadeus a  
Concilio ad  
generalium  
Concilium  
frustra ap-  
pellauit.

In tertia uero sessione Thadeus nimis timens & dolens de domini sui periculo, maxime pro eo quod filia ducis Austria, uel ipsi imperatori copulata, uel in proximo copulanda matrimonio, amplexus eius abhorrens euitabat, eo quod excommunicationi subiacti depositionis periculum imminebat, apparuit in Concilio pro domino suo responsurus & appellaturus. Et cum cepisset eum multiformiter excusare, nec exaudiretur, appellauit pro eo ad Concilium proxime futurum generalium. Nec enim nunc omnes prelati, uel eorum, uel principum procuratores, apparent hic impresentiarum. Cui papa: Satis est Concilium generale multorum, qui



domini tui humilitatem inutiliter non sine grauamine expectarunt, patriarcharum, archiepiscoporum, episcoporum & aliorum de diuersis mundi partibus nobilium, vel eorum procuratorum. Et qui absunt, laqueis domini tui impediuntur irretiti. Vnde propter hoc indignum est vt sententia depositionis in ipsum deferenda retardetur, ne ex malitia sua commodum videatur reportare, cum non debeat alicui fraus patrocinari.

Asidentibus autem ibidem Anglicana vniuersitatis procuratoribus pronomiatis, magister Vvilielmus de Poveric eorum procurator assurgens, grauamina regni Anglie ex parte vniuersitatis Anglie proponens satis eleganter, conquestus est grauiter quod tempore belli per curiam Romanam extortum est tributum iniuriose, in quod nunquam patres nobilium regni vel ipsi consenserunt, nec consentiunt, neque in futurum consentient. Vnde sibi expetunt exhiberi iustitiam cum remedio. Ad quod papa nec oculos eleuans, nec vocem, verbum non respondit. Et post paululum silentii, dictus Vvilielmus proposuit de multiformi redituum extorsione in Anglia per curiam Romanam factam, hanc ostendens epistolam:

Reuerendo in Christo patri Innocentio Dei gratia summo pontifici magnates & vniuersitas regni Anglie recommendationem, cum pedum osculo beatorum.

MATREM nostram Romanam ecclesiam totis visceribus diligimus & amamus, vt debemus, & ipsius honoris incrementum & augmentum affectione quanta possumus affectamus: ad quam habere refugium nos oportet temporibus opportunis, vt dolor aggrauans filialis materno solatio mitigetur. Quod quidem solatium mater filio eo tenetur mitius & facilius impertiri, quo ipsum maternæ dulcedinis alimento gratum reperit & deuotum. Esse quidem non potest immemor mater illa illius gratitudinis quam ei a longe retroactis temporibus regnum Anglicanum impendit, concedendo eidem, ad exaltationem suam, & conseruationem maiorem, subsidium decens, & non modice fructuosum, vt per hoc inter ecclesiam ipsam & regnum prædictum fœdus dilectionis firmitus iniretur: quod quidem subsidium processu temporis beati Petri denarius extiterit nuncupatum. Ipsa vero ecclesia huiusmodi subsidio non contenta, aliis temporibus, tam per legatos quam per alios nuntios multiplicatos, subsidia petebat diuersa in regno prædicto, quæ ei a filiis suis tamquam deuotis, & matrem suam sinceræ dilectionis brachiis amplexantibus, fuerunt concessa liberaliter & libenter. Paternitatem etiam vestram non credimus ignorare, quod prædecessores nostri, sicut viri catholici, Creatorẽ

Querela  
Anglorum.

Epistola  
Anglorum.



suum diligentes pariter & timentes, animarum suarum & prædecessorum suorum, nec non & successorum, salutem insistere cupientes, monasteria fundauerunt, & bonis suis, tam terris dominicis quam ecclesiarum patronatibus, ditauerunt, ut viri religiosi in monasteriis illis primam religionem laudabiliter exercentes, & cum summa deuotione Altissimo famulantes, pace & plena tranquillitate possent gratulari, prout religioni dignoscitur conuenire, de dictis dominicis necessaria capientes. Et ut clerici sui, patronatum suorum ecclesiarum obtinentes, pro eis labores subirent exteriores, & eos defenderent, inhærentes religioni secundæ, ab incurfibus aliorum. Quapropter non sine magna molestia nostra, & grauamine intolerabili nobis valde, præfati religiosi possent patronatibus suis, aut ecclesiarum collationibus, aliquatenus defraudari. Sed ecce per vos & prædecessores vestros, nullam considerationem habentes, quod præter subsidia suprascripta, iam ditantur in Anglia Italici, quorum est iam numerus infinitus, ecclesiis ad ipsorum religiosorum spectantibus patronatus, qui rectores ecclesiarum dicuntur, præfatos religiosos, quos deberent defendere, relinquentes penitus indefensos, nullam curam animarum gerentes, sed luporapacillimos gregem dispergere & oves rapere permittentes. Vnde vere dicere possunt, quod non sunt boni pastores, quoniam oves suas non cognoscunt, nec pastorum notitiam oves habent: hospitalitati eleemosynarumque largitioni, sicut statutum est in ecclesia, non insistant, sed fructus tantum percipiunt, extra regnum asportantes, regnum non mediocriter depauperando, & redditus occupando. Quibus redditibus fratres, nepotes, consanguinei nostri, & ceteri bene meriti de regno Angliæ prædicto, beneficiari tenerentur, qui possent & vellent dicta caritatis opera, & etiam plura alia misericorditer & pie exercere, & ecclesiis ipsis personaliter deseruire, ut qui altari deseruiunt viuant etiam de altari, secundum dictum Pauli. Ipsi vero nunc necessitate compulsi laici & exules sunt effecti. Ut autem vobis veritas plenius innotescat, Italici percipientes in Anglia sexaginta millia marcarum, & eo amplius annuatim, aliis perceptionibus diuersis exceptis, plus emolumenti meri redditus de regno reportant, quam



ANNO CHRISTI 1245  
ipse rex, qui est tutor ecclesie, & regni gubernacula moderatur. Porro post creationem vestram firmiter sperabamus, & adhuc speramus, eam de vobis fiduciam reportantes, quod vestra paternitatis misericordia mediante, gaudebimus eleemosynas nostras predictas tempore vestro fore statui debito & pristino reformandas. Sed tacere non possumus grauamen nostrum, quo non solum grauamur, sed etiam opprimimur ultra modum, videlicet quod magister Martinus prefatum regnum sine domini regis licentia, cum maiori potestate quam vnquam vidimus habere legatum a domino rege postulatum, nuper ingressus, licet non vtens legationis insigniis, multiplicato tamen legationis officio, nouas quotidie proferens potestates inauditas, excedens excedit: quaedam beneficia iam vacantia triginta marcas vel amplius annuatim valentia personis Italicis conferendo: quibus decedentibus, & patronis ignorantibus, alii supponuntur, & sic patroni suis collationibus defraudantur. Adhuc etiam idem magister Martinus beneficia consimilia, cum ea vacare contigerit, personis nititur assignare. Quorundam beneficiorum collationem sedi apostolicæ reseruando, & a viris religiosis pensiones immoderatas insuper extorquendo: contradictores & resistentes excommunicationis & interdicti sententiis passim, non absque magno discrimine & animarum periculo, supponendo. Cum igitur prefatus magister Martinus, non sine totius regni perturbatione non modica, iurisdictionem exercens memoratam, quam a conscientia vestra credere non possumus emanasse, eo quod in multis maiori fungeretur officio, quam vnquam fungi legatum aliquem videremus, priuilegio domini regis admodum derogando, per quod ei a sede apostolica specialiter indulgetur, ne quis in Anglia legationis fungatur officio, nisi a domino rege specialiter postulatus, sanctæ paternitati vestræ supplicamus quantum possumus humiliter & deuote, quatenus, cum pius pater ad releuationem oppressionis filiorum manum misericordiæ teneatur extendere, ab oppressionibus & grauaminibus memoratis nos velit vestræ paternitatis benignitas tempestiuo ac efficaci remedio cito releuare. Quantumcumque namque dominus noster rex, qui est



princeps catholicus, & iugi vigilatione obsequiis diuinis intendit, corporis sui consumptionem non considerans, in obsequio Iesu Christi sedem velit apostolicam reuereri, & ecclesie Romanæ, sicut filius eius carissimus, commodi & honoris desideret incrementum & augmentum; iure tamen regio dignitateque regia plenius conseruatis: nos tamen qui in negotiis suis portamus pondus dierum & ætus, & quibus vna cum ipso domino rege intendere conseruationi regni diligenter incumbit, dictas oppressiones Deo & hominibus detestabiles, & grauamina nobis intolerabilia, non possumus æquanimiter tolerare, nec per Dei gratiam amplius tolerabimus, vestrae pietatis remedio mediante, quod festinum & tempestiuum habere credimus & speramus. Placeat igitur paternitati vestrae hanc supplicationem nostram taliter exaudire, quod a magnatibus & vniuersitate regni Angliæ, tamquam a filiis in Christo carissimis, speciales gratias debeatis merito reportare.

Anglorum  
causa dif-  
fertur.

*Cum autem per prædictos nuntios in medio Concilio legerentur, & in propatulo manifesto, facto optimo silentio, proponerentur, dominus papa non respondit: quia, ut asseruit, tam arduum negotium morosa indignis deliberatione. Suspendit igitur ad tempus responsonem, licet vrgenter instarent nuntii prædicti tam solennes & magnifici; indistanter tamen se responsa daturum pollicendo. Addebant quoque iidem nuntii prioribus querimoniam grauem & seriam, videlicet de violenta oppressione, intolerabili grauamine, & impudenti exactione, qua per hanc iniustam adiectionem, papalibus literis frequenter insertam, Non obstante, &c. exercetur.*

Fridericus  
secundus  
imperio de-  
ponitur.

*Altiori igitur insistens negotio dominus papa, licet in contrarium elegantè magister Thadaeus procurator imperialis allegasset, in imperatorem Fridericum sine aliqua palpatione, vel dissimulatione, vel dilationis indulto, talem sententiam excommunicationis in pleno Concilio non sine omnium audientium & circumstantium stupore & horrore terribiliter fulgurauit.*

Innocentius episcopus seruus seruorum Dei, &c. sacro præsentè Concilio, ad rei memoriam sempiternam.

**A**D apostolicæ dignitatis apicem, licet indigni, &c. ut  
supra pagina 424.

*Hæc igitur in medio Concilio prolata, cunctis audientibus, adinstar coruscantis fulguris, non mediocriter timorem omnibus incusserunt. Ma-*



ANNO CHRISTI 1145. gistri igitur Thadaeus de Sueffa, & Vvalterus de Ocra, & alii procuratores imperatoris, & qui cum ipsis erant, emisso eiulatu flebili, hic femur, hic pectus in iudicium doloris percutientes, vix a profluuiio lacrymarum sese continuerunt. Et ait magister Thadaeus memoratus: Dies ista, dies ira, calamitatis & miseria. Dominus igitur papa & pralati assidentes Concilio, candelis accensis, in dictum imperatorem Fridericum, qui iam iam imperator non est nominandus, terribiliter, recedentibus & confusis eius procuratoribus, fulgurarunt.

Procuratores imperatoris recedunt confusi.

De reparatione autem terræ sanctæ, & negotio Crucis, dominus papa sollicitus, hæc duxit in Concilio statuenda hoc modo:

Statuta de reparatione terræ sanctæ, & negotio Crucis.

Afflicti corde pro deplorandis terræ sanctæ periculis, &c. ut supra pagina 445.

Ecclesiastica censura iudices damnabiliter abutuntur, cum de matris ecclesiæ gremio ex alterius culpa indiscrete per eam attentent euellere innocentes: ex qua illicitè notatus non læditur, sed errante clauis conuerti dicitur in damnantem. Volentes igitur insolentiæ, vel potius insolertiæ talium obuiare, constitutionem præsentis decreto sancimus, ut iudicum nullus excommunicato, &c. ut supra pagina 436.

De sententia excommunicationis cap. 3. in 6. decret.

Eum qui super dignitate, personatu, vel aliquo alio beneficio ecclesiastico obtinendis, &c. ut supra pagina 435.

Exceptionis peremptoriæ, seu defensionis cuiuslibet principalis, &c. ut supra pagina 434.

Expediendis atque absoluendis causarum negotiis obscuritas est inuisa & contemptibilis: personarum vero claritas, & locorum celebritas, plurimum opportuna, & commendabilis valde. Proinde præsentis decreto duximus prouidendum, & arctissime statuendum, ne a sede apostolica, vel delegatis ipsius, causæ aliquibus committantur, &c. ut supra pagina 432.

Ne committantur causæ iudicibus delegatis, nisi in locis famosis.



Actori con-  
trumaci non  
dabitur ci-  
tatio, cap. I.  
de dolo &  
contrumacia  
in 6. p. 434.

Actor qui venire ad terminum, ad quem ad-  
uersarium suum citari fecerat, contempserit, vel  
non curauerit, venienti reo in expensis propter  
hoc factis legitime condemnetur; ad citationem  
aliam minime admittendus, nisi sufficienter caue-  
rit quod in termino debeat fideliter comparere.

Dispendia litium æquitatis compendio volen-  
tes qua possumus industria coarctare ac minuere,  
statutum, &c. *ut supra pagina 434.*

Iuris esse ambiguum non videtur, &c. *ut supra  
pagina 433.*

Statuimus atque ordinamus vt positiones ne-  
gatiuas, &c. *ut supra pagina 435.*

De electio-  
ne.

Cum actus legitimi dies & conditiones abhor-  
reant sanctione legali, & inter legitimos actus ele-  
ctio pontificum celeberrimus habeatur, cum per  
eam inter eligentes & electum spiritualis quædam  
matrimonii fœdera copulentur, atque reconci-  
lientur in electionibus, seu postulationibus, vel  
scrutiniis, ex quibus ius oritur eligendi, vota con-  
ditionalia, alternatiua & incerta reprobamus &  
prohibemus; statuentes vt, huiusmodi votis pro  
non adiectis habitis, ex puris consensibus surgat  
electio.

Ne trahan-  
tur in iudi-  
cio ultra  
tres vel  
quatuor  
diatas.  
De officio  
delegati in  
6. *ut supra  
pagina 433.*

In multis iuris articulis numerositas & infinitas  
reprobatur. Et ideo prouide duximus statuen-  
dum, vt per generalem clausulam, Quidam alii,  
quæ frequenter in literis nostris inseritur, ultra tres  
vel quatuor diatas in iudicio non trahantur. Sta-  
tuentes, vt si conseruatores, quos plerisque conce-  
dimus, a manifestis iniuriis & violentiis defendere  
pos-



ANNO  
CHRISTE  
1245  
possint, quos eis committimus defendendos, nec ad alia quæ iudicalem indaginem & examinationem exigunt, suam possint extendere potestatem.

Statuimus, vt si aliquis electiones, postulationes, vel prouisiones factas impugnat, in formam obiiciens aliquid, vel personam, & propter hoc ad nos appellari contingat, tam is qui opponit, quam qui defendit, & generaliter omnes quorum interest, & quos causa contingit, per se, vel per procuratores ad causas instructos, ad sedem apostolicam a die obiectionis iter arripiant infra mensem. Sed si pars aliqua non venerit post viginti dies post aduentum alterius expectata, in electionis negotio, non obstante cuiusquam absentia, sicut de iure fuerit, procedetur. Hæc autem in dignitatibus, personatibus & canonicis obseruari volumus, & mandamus.

Adiicimus, vt qui non plene probauerit quod in forma proponit, ad expensas, quas propter hoc pars altera fecisse docuerit, condemnetur. Qui vero in probatione defecerit eius quod in personam obiicit, a beneficiis ecclesiasticis triennio nouerit se suspensum. Atque si infra illud tempus propria se temeritate ingesserit, illis ipso iure perpetuo sit priuatus, nullam super hoc de misericordia spem aut fiduciam habiturus: nisi manifestissimis constiterit documentis, quod ipsum a calumniæ vitio causa probabilis & sufficiens excuset.

Officii nostri debitum remediis inuigilat subiectorum. Quia dum eorum excutimus onera, dum scandala remouemus, nos in ipsorum quiete quie-

Concil. Tom. 28.

Nnn

Cap. 1. de  
electione &  
electi po-  
testate in 6.  
Ne aliquis  
impediat e-  
lectiones,  
vel postula-  
tiones.

Pœna defi-  
cientium in  
probatione  
in eodem  
6.

De officiis  
legati in 6.



scimus, & fouemur in pace. Proinde præfenti decreto statuimus, vt ecclesiæ Romanæ legati, quantumcumque plenam legationem obtineant, siue a nobis missi fuerint, siue suarum ecclesiarum prætextu legationis sibi vindicent dignitatem, ex ipsius legationis munere conferendi beneficia nullam habeant potestatem; nisi hoc specialiter duxerimus indulgendum. Quod tamen in fratribus nostris legatione fungentibus nolumus obseruari: quia sicut honoris prærogatiua lætantur, sic eos auctoritate fungi volumus ampliori.

De restitutione spoliatorum in 6.

Frequens & assidua nos querela circumstrepit, quod spoliationis exceptio nonnunquam in iudiciis calumniose proposita causas ecclesiasticas impedit & perturbat. Dum enim exceptioni infertur appellationes interponi contingit. Et sic intermittitur, & plerumque perimitur causæ cognitio principalis. Et præterea nos, qui voluntarios labores appetimus vt quietem aliis præparemus, finem litibus cupientes imponi, & calumniæ materiam amputari, statuimus, vt in ciuilibus negotiis propter spoliationis obiectionē, quæ ab alio quam ab actore facta proponitur, iudex in principali procedere non postponat. Sed si in ciuilibus ab actore, in criminalibus autem se spoliatum reus asserat a quocumque, infra quindecim dierum spatium post diem in quo proponitur, quod asseruit comprobabit. Alioquin in expensis, quas actor interim ob hoc fecerit, iudiciali taxatione præhabita condemnatur: alias etiam, si æquum iudici visum sit, puniendus. Illum autem spoliatum intelligi volumus



ANNO  
CHRISTI  
1245

in hoc casu, cum criminaliter accusatur, qui tota substantia sua, vel maiori parte ipsius, per violentiam se destitutum affirmat. Et secundum hoc loqui Canones sano credendum est intellectu: quia nec nudi contendere, nec in errore inermes opponere nos debemus: habet enim spoliatus privilegium ut non possit exui iam nudatus. Solet autem inter scholasticos dubitari, si spoliatus a tertia de spoliatione contra suum accusatorem excipiat, an ei tempus a iudice debeat indulgeri, infra quod restitutionem impleret; ne forte sic velit existere, ut omnem accusatorem eludat; quod satis æquitati consonum æstimamus. Et si infra tempus indultum restitutionem non petierit, & causam, cum potuerit, non perducatur ad finem, non obstante spoliationis exceptione, deinceps poterit accusari. Ad hæc statuimus, ut rerum privatarum exspoliatio agenti super ecclesiasticis, vel econtrario nullatenus opponatur.

Pia consideratione statuit mater ecclesia, quod maioris excommunicationis exceptio in quacunque parte iudiciorum opposita, lites differat & repellat agentes, ut ex hoc magis censura ecclesiastica timeatur, excommunicationis periculum evitetur, contumaciæ vitium reprimatur: & excommunicati, dum a communibus actibus excluduntur, rubore suffusi & confusi ad humilitatis gratiam & reconciliationis effectum facilius inclinentur. Sed hominum succrescente malitia, quod prouisum est ad remedium, tendit ad noxas. Dum enim in causis ecclesiasticis hæc frequentius exce-

De accusa-  
tionibus.  
De excep.  
in 6. decr.



ptio per malitiam apponatur, contingit differri negotia, & partes fatigari laboribus & expensis. Proinde quia morbus iste quasi communis irrepserit, dignum duximus communem adhibere medelam. Si quis igitur excommunicationem opponat, speciem ipsius & nomen excommunicatoris exprimat; sciturus eam rem a se deferri in publicam notionem, quam infra octo dierum spatium, die in quo proponitur minime computato, probare valeat apertissimis documentis. Quod si non probauerit, iudex in causa procedere non omitat, reum in expensis, quas actor ob hoc diebus illis se fecisse docuerit, præhabita taxatione condemnans. Si vero postmodum instantia durante iudicii, & probandi copia succedente, de eadem excommunicatione vel alia excipiat iterum, & probetur, actor in sequentibus excludatur, donec meruerit gratiam absolutionis obtinere; his quæ præcesserunt nihilo minus in suo robore duraturis: prouiso ut ultra duas vices non proponatur hæc exceptio, præterquam si excommunicatio noua emerferit, vel euidens & prompta probatio superuenerit de antiqua. Sed si post rem iudicatam talis exceptio proponatur, excusationem impedit; sed sententia, quæ præcessit, non minus robur debitum obtinebit: eo tamen saluo, ut si actor excommunicatus sit publice, & hoc iudex nouerit quandocumque, etsi hoc reus non excipiat, iudex actorem ex suo officio repellere non postponat.

De sententia & re iudicata, in 6.

Cum æterni tribunal Iudicis illum reum non



ANNO  
CHRISTI  
1145

habeat quem iniuste iudex condemnat, testante  
Propheta, & dicente: *Nec damnabit eum cum iudicabitur illi;* caueant ecclesiastici iudices, & pruden-

ter attendant, vt in causarum processibus nihil vindicet odium, nihil fauor vsurpet; timor exulet, præmium & expectatio præmii iustitiam non euertat. Sed stateram gerant in manibus, lances appendant æquo libramine, vt in omnibus quæ in causis agenda fuerint, præsertim in concipiendis sententiis & ferendis, præ oculis habeant solum Deum. Illius imitantes exemplum, qui querelas populi tabernaculum ingressus ad Dominum referebat, vt secundum eius imperium iudicaret. Si quis autem iudex ecclesiasticus ordinarius, seu etiam delegatus, famæ prodigus, & proprii persecutor honoris, contra conscientiam & contra iustitiam, in grauamen partis alterius, in iudicio quidquam fecerit per gratiam vel per sordes, ab executione officii per annum nouerit se suspensum, ad æstimationem litis parti quam læserit nihilo minus condemnandus. Sciturus quod si suspensione durante damnabiliter ingesserit se diuinis, irregularitatis laqueo inuoluetur, secundum canonicas sanctiones; a quo non nisi per sedem apostolicam poterit liberari. Saluis aliis constitutionibus, quæ iudicibus male iudicantibus pœnas congerunt & infligunt. Dignum est etenim vt qui in tot præsumpserit offendere, pœna multiplici castigetur.

Cordi nobis est lites minuere, & a laboribus releuare subiectos. Sancimus igitur, vt si quis in iudicio, vel extra, super interlocutoria, vel grauamine,

Nnn iij

De appellationibus,  
in 6.



ad nos duxerit appellandum, causam appellationis in scriptis assignare deproperet, petat apostillos, quos ei præcipimus exhiberi. In quibus appellationis causam iudex exprimat. Et cum appellatio non sit admissa, vel si appellationi forsitan ex superioris reuerentia sit delatum, post hoc appellatori secundum locorum distantiam, & negotii qualitatem, tempore prosecutionis indulto, si appellans voluerit, & principales petierint, per se & per procuratores instructus, cum mandato ad agendum, rationibus & munimentis ad causam spectantibus, accedant ad sedem apostolicam sic parati, vt, si nobis visum fuerit expedire, finito appellationis articulo, vel partium voluntate omissa, procedant in negotio principali quantum poterit, & de iure debebit; his, quæ in appellationibus a diffinitiuis sententiis interpositis antiquitas statuit, non mutatis. Quod si appellator quæ præmissa sunt non obseruet, reputabitur non appellans, & ad prioris iudicis redibit examen, in expensis legitimis condemnandus. Si autem appellatus contempserit hoc statutum, in eum, tamquam contumacem, tam in expensis, quam in causa, quantum a iure permittitur procedetur. Iustum est equidem vt in eum iura insurgant, qui ius, iudicem & partem eludit.

De sententia excommunicationis, cap. 1. in 6.

Cum excommunicatio sit medicinalis, non mortalis, disciplinans, non eradicans, dum tamen in quem lata fuerit non contemnat, caute provideat iudex ecclesiasticus, vt in ea ferenda ostendat se prosequi quod corrigentis est & medentis. Quisquis ergo excommunicat in scriptis proferat, &



ANNO  
CHRISTI  
1145

causam expresse conscribat, propter quam excommunicatio proferatur. Exemplum vero scripturæ huiusmodi teneatur excommunicato tradendum infra mensem post diem sententiæ, si fuerit requisitus: super qua requisitione fieri volumus publicum instrumentum, vel literas testimoniales confici sigillo authentico consignatas. Si quis autem iudicum huiusmodi constitutionis temerarius violator existat, per mensem vnum ab ingressu ecclesiæ & diuinis nouerit se suspensum. Superior vero, ad quem recurritur, sententiam ipsam sine difficultate relaxans, latorem excommunicationis ad expensas omnes & interesse condemnet, & alias puniat animaduersione condigna, vt pœna docente, discant iudices, quam graue sit excommunicationum sententias sine maturitate debita in aliquem fulminare. Et hæc eadem etiam in suspensionis & interdicti sententia volumus obseruari. Caueant autem prælati, & iudices vniuersi, ne prædictam suspensionis pœnam incurrant. Quoniam si contigerit eos sic suspensos diuina officia exequi, sicut prius, irregularitatem non effugient, iuxta canonicas sanctiones; super qua non nisi per summum pontificem poterit dispensari.

Solet autem a nonnullis in dubium reuocari, an cum aliquis per superiorem absolui postulat ad cautelam, dum in se latam excommunicationis sententiam asserit esse nullam, sine contradictionis obstaculo munus debeat ei absolutionis impendi. Et ante absolutionem huiusmodi, qui se offert in iudicio probaturum se post appellationem legitimam

De sententia excommunicationis, cap. 2. in 6.



in excommunicatione notatum, vel intolerabilem errorem in sententia fuisse patenter expressum, sit in ceteris, excepto probationis illius articulo, evitandus. In prima igitur dubitatione sic statuimus obseruandum, vt petenti absolutio non negetur, quamuis in hoc excommunicator, vel aduersarius, se opponat. In quo casu tres tantummodo octo dierum indulgebuntur dilationes, sic dicenti; vt si probauerit quod opponit, nec relaxetur sententia, nisi prius sufficiens præstetur emenda, vel competens cautio de iuri parendo, si offensa dubia proponatur. In secunda vero quæstione statuimus, vt si is qui ad probandum admittitur, pendente probationis articulo, etiam ceteris, quæ vt actor in iudiciis acceptauerit, interim euitetur. Extra iudicium vero, in officiis, postulationibus, & electionibus, & aliis legitimis actibus, nihilo minus admittatur.

Hæc apud Matthæum Paris prædicto loco. Eisdem fere omnes constitutiones, & nonnullas quasdam alias diuersis titulis lib. 6. Decretalium insertas inuenies. Quæ cum alibi varietate lectionis & initiis ab his discrepent, eo ordine, quo ibidem continentur, initia singulorum capitulorum repetenda esse iudicauimus.

*CAPITVLA CONCILII LVGDVNENSIS I.  
lib. 6. decretalium contenta ista sunt quæ sequuntur:*

- Cap. Cum in multis, de rescript. in 6.*
- Cap. Dispendia litium, eodem in 6.*
- Cap. Statuimus vt si quis, de elect. in 6.*
- Cap. In electionibus, eodem titulo in 6.*
- Cap. Statuimus vt conseruatores, de officio & potestate iudicis delegati, in 6.*
- Cap. Romana 1. de offic. ordin. in 6.*
- Cap. Iuris esse, 1. d. iudic. in 6.*
- Cap. Exceptionis peremptoriæ, 1. de lit. contest. in 6.*
- Cap. Actor, de dolo, in 6.*
- Cap. Eum qui, de eo qui mittitur in possessionem causa rei seruande, in 6.*

*Cap.*



Cap. Statuimus, 1. de confess. in 6.

Cap. Romana, 3. de testibus, in 6.

Cap. Pia, 1. de except. in 6.

Cap. Cum aeterni, 1. de sententia & re iudicata, in 6.

Cap. Cordi, de appellationibus, in 6.

Cap. Legitima, eodem, in 6.

Cap. Pro humani, 1. de homicidio, in 6.

Cap. Volentes, 1. de priuileg. in 6.

Cap. Romana, 1. de pœnitent. in 6.

Cap. Cum medicinalis, 1. de sententia excommunicationis, in 6.

Cap. Solet, 2. tit. eodem, in 6.

Cap. Statuimus vt nullus, 3. eodem, in 6.

Cap. Quia periculofum, 4. eodem, in 6.

Cap. Romana, 5. titulo eodem, in 6.

Cap. Dilecto filio, 6. eodem, in 6.

Eadem acta concise & breuiter recitantur apud abbatem Stadenfem in chronico his verbis: Anno Domini 1245. papa in Burgundiam Lugdunum, qua prima sedes est Galliarum, veniens, post festum Ioannis Baptista ibidem Concilium celebrauit, & quintam partem ab ecclesiis reddituum requisit. Imperator pro se nuntios misit, inter quos erat quidam Thadeus doctor legum, qui pro eo elegantissime allegauit, ita vt plurimorum sibi audientiam conquireret & fauorem. Nihilominus autem papa imperatorem in die Iacobi feria tertia, qua tertia dies erat Concilii, excommunicauit. Papa per totam terram Teutoniae lugubrem literam principibus ecclesiasticis destinauit, conquerens flebiliter quod a gente quadam Saracena, quam Chorefminorum populum appellant, sepulcrum Domini esset enormiter violatum, &c. Et paulo infra, cum alia quædam de Saracenis & prodigiosis orbium caelestium aspectibus recensisset, subiungit: Papa in iam dicto Concilio, scilicet die Iacobi, contra imperatorem excommunicationis sententiam renouauit, & eum ab imperiali culmine auctoritate propria deposuit; & hanc depositionem per totam ecclesiam promulgauit; præcipiens sub interminatione excommunicationis vt nullus eum imperatorem de cetero nominaret. Quæ sententia per mundum volante, quidam principum cum multis aliis reclamabant, dicentes, ad papam non pertinere imperatorem vel instituire vel destituere; sed electum a principibus coronare. Interea papa sollicitari fecit principes, quos ad imperium regendum credidit idoneos, vt aliquis eorum onus imperii sumeret & laborem, promittens ei, quicumque imperium assumeret, consilium & auxilium pariter & fauorem. Tandem Henricus Lantgrauius, cognomento Raspe, multis enictus precibus imperium accepit. Hæc Albertus Stadenfis.

Trithemius in chronico Hirsaugiensi, Fridericus imperator secundus, ait, in Concilio Lugdunensi a papa Innocentio citatus, & non comparens, a Casarea maiestate deponitur, & omni dignitate priuatur: vacauitque deinceps (vt quidam volunt) Romanum imperium per annos viginti octo, vsque ad Rodolphum de Habsburg; quamuis tres interea successiue per principes fuerint electi, plures autem in dissensione, principi.

Concil. Tom. 28.

000



pibus non concordantibus. Et primo quidem post depositionem Frederici papa mandauit principibus, ut imperatorem quem uellent eligerent: quorum aliqui Fredericum sequentes, mandatum papa non curauerunt: ceteri in unum conuenientes Henricum prouincialem comitem Hassia in regem contra Fredericum eligentes, partes eius quantum potuerunt defendebant. Electus autem Henricus bellum cum Conrado habuit filio imperatoris in campis iuxta Francofordiam, & victor euadens Conradum superauit.

Annis igitur quinque nomen gerens regium nihil memoria dignum patrauit, sed obiit imperii coronam minime consecutus. Quamdiu enim uixit imperator Fredericus, per annos ferme sex preualere contra eum nec papa nec aliquis principum potuit: sed non aduertens sententiam papa, quam iniustam & friuolam dicebat, se imperatorem gessit, magnamque principum, nobilium & ciuitatum aduerentiam habuit usque ad mortem. Intrauit post depositionem sui in Italiam, & tantis malis papam subiectosque illi populos afflixit, ut pontificem uiuere taderet, uolissetque se nunquam depositionem illius cogitauisse. Maxima enim partialitas populorum in Italia subsecuta est, que usque in presentem ferme diem per annos ducentos & sexaginta, non sine multorum effusione sanguinis, durauit. Enimvero qui Romani pontificis sequebantur partes, quorum uotis inditum nomen erat Guelforum, fautores imperatoris, qui Gibellini dicebantur, omni studio omnique uirtute persequi & delere penitus satagebant. Nec minore studio Guelfos Gibellini persequantur. Hæc Trithemius præcedenti loco.

## VITA ET EPISTOLÆ

## ALEXANDRI PAPÆ IV.

ALEXANDER quartus, cui, teste abbate Stadenfi, Rainaldi, vel, ut habet Onuphrius, Rolandi nomen fuerat, patria Anagninus, nobili comitum Signiæ familia natus, Innocentii tertii & Gregorii noni, a quo cardinalis creatus est, propinquus, ex episcopo Ostiensi & Veliterno, decimoquinto die post obitum Innocentii, euectus est in thronum apostolicum & cathedram Petri, 25. Decembris, ipso die natiuitatis Christi, anno salutis humanæ 1254. regnante Vvilielmo Hollandiæ comite, quem coronæ imperialis accipiendæ gratia Romam abiturientem Frifones anno septimo regni occiderunt. Manfredum, qui sibi titulum regni Neapolitani usurpauerat, anathematizauit. Ad Venetos Philippum Fontanesium Rauennatem archiepiscopum misit, qui contra Ezelinum tyrannum prædicaret. Post aliquot tandem